

Regia
lex
f.
ant


Regia
lex
f.
ant

Theol. rec. IX

Oct. 3372.

THEOLOGIA
SUPPLEX.

AD SUMMUM PONTIFICEM
CLEMENTEM XII.



Ad Exemplar Colonienſe de anno 1736.

Ex
Bibliotheca
Reg. Univers.
Vratisl.

Ex
Hereditate
Seminaria

In hujusmodi causis ubi per graves dissensionum scissuras non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum (catholicorum) strages jacent, detrahendum esse aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat. S. Augustinus in Ep. 56. ad Bonifacium.

Conjungar illis Domine in te, et delecter cum eis de te, qui veritate tua pascuntur in latitudine charitatis. S. Augustinus Conf. Lib. 12. C. 23.



926413

PRÆFATIO.

Non multa præfabor studiose Lector, ut suscepti consilii rationem aperiā, quæ satis, vel me tacente, se prodit ipsa. Unam, quam in opere faciundo tenuerim methodum, paucissimis verbis dicam.

Clementinæ Constitutionis *Unigenitus Dei Filius* &c. cujus occasione tot ac tantæ superioribus annis excitæ sunt turbæ, novæque excitantur in dies, Adversarios, ac Refractarios, non unius generis observavi, nec uno omnes eodemque fine ductos deprehendi. Alii aperto Marte oppugnant, affectis illi sensibus prorsus erroneis, ac etiam hæreticis; ut vel sic misere deformatam, horridaque larva obductam averfentur; et tanquam adulterinam doctrinæ formulam, ab avita Ecclesiæ fide longius aberrantem, proterve rejiciant. Averfantur alii tecte ac per cuniculos, qui cum eam religiose, ut videri volunt, ac reverenter accipiant, i religioſum tamen, & irreverenter detrahunt, contemnant, foede corrumpunt, peregrinis quoque pravisque sensibus attributis; non ut oderint,

A 2

ac



ac refugiant, sed ut solenni illo Apostolicæ Sedis iudicio, nova nescio quæ profanæ doctrinæ commenta confirmet, & in scholarum nostrarum honorem, sub ea Pontificiæ auctoritatis umbella, ovantes inducant.

Ut igitur opportunam congruentemque Constitutionis Clementinæ defensionem suscipiam, qua illius Adversarios & Opnatores exarmem, hostilesque conatus intringam; facturum me opere pretium existimavi, si puram, nitidam, castam explicationem per singulos illius articulos, ederem; quæ falsa illa, sinistra, iniqua, dolo malo ficta Refractoriorum interpretamenta longe depelleret.

Quamquam porro publicis Theologiæ Professoribus licitum semper fuerit, atque integrum, non modo Constitutionum Apostolicarum, sacrorumque Ecclesiæ Canonum, verum etiam divinarum scripturarum explicationes, atque interpretationes pro causæ quam tuentur opportunitate, facere marte suo, quibus verum earumdem atque germanum sensum aperiant (ad interpretandum enim doctores invigilantur) ut tamen susceptum opus movecilius agam, meamque in Sedem Apostolicam, cujus
hic

hic causam oro, venerationem, cultumque profitear; Clementinæ Constitutionis explicationem non tam faciam ipse, quam qualis fieri possit, ac debeat, ab eo ipso, qui sacro illo nunc sedet folio, reverenter exposcam; eamque non meo tantum, sed et totius Theologorum ordinis nomine supplex petam: quod in tanti re momenti, a summo totius Ecclesiæ Doctore ac Magistro, doceri Theologi malint, quam docere; discere potius, quam dicere.

Hoc si precibus nostris documentum dari contigerit; (quo verus germanusque Clementinæ Constitutionis sensus Theologis constet) tunc certe ora comprimant adversarii, æternoque silentio damnabuntur. Id vero si forte negetur, quod humillime petimus, hunc saltem fructum ex hac nostra lucubratione referent Theologi Augustiani præsertim, atque Thomistæ; quod datas hic in Quesnellianarum propositionum examine, variorum sensuum distinctiones mutuando, usurpandoque, adversariorum suorum Clementinam Constitutionem obijcientium tela deludent; aliudque in Quesnellianis damnasse Clementem ostendent, quam quod ipsi suis in scholis omnium celeberrimis docent.

AD SUMMUM PONTIFICEM
CLEMENTEM XII.

Beatissime Pater!

Tametſi Pontificiæ dignitatis injuria videri poſſit, factam in Petri Sede deciſionem aliquam, latumque judicium, niſi prius ab ipſo explicetur Judice, accipere nolle; nulla tamen injuria fuerit, ſed cultus potius, obſequium obſervantia, cum ſemel deciſionem Pontificiam reverenter acceperis, illius demum explicationem, ut & obſervari religioſius, & contra oppugnantes defendi validius poſſit, ſuppliciter poſtulare. Sic fane ſubditi vel obſequentiſſimi, quas reverenter acceperere prius Principum leges, quo illas ſervent accuratius, explicari ſibi ſæpiſſime poſtulant: ipſique interdum Apoſtoli, accepta reverenter ex Chriſti Domini ore ſacratiffima documenta explicari ſibi petierunt, quæ & ipſe cœleſtis doctrinæ Magiſter, nullam divinæ Majeſtatis auctoritatisque injuriam paſſus, dignatus eſt explanare; ut dignos illos doctrinæ ſuæ præcones faceret: qui certius fidelibus viderent, quæ plenius a Domino didiciſſent. Lucæ 8. Matth. 13. & 15. Marci 7.

Ea

Ea conſideratione bene animatus Theologicus Ordo, hanc ſibi fiduciam ſumpſit, ut Clementinæ Conſtitutionis explicationem, quanta poteſt animi demiffione ſuppliciter peteret: non quod eam niſi explicetur, nolit accipere; quam & accepit dudum, & ſincero mentis aſſenſu complexus eſt; nihilo dubitans, quin latum in Petri Sede judicium, ex illius quoque mente atque ſententia prodierit: ſed ut Clementis XI. mentem edoctus, ſancitam inibi doctrinam in ſcholis certius tradat; eosque validius refellat pervicaces ac refractarios, qui eo nunc Apoſtolicæ Sedis judicio, ad ipſius Pontificiæ dignitatis injuriam, ad animarum perniciem, ad ſanctioris diſciplinæ laxamentum, ad probatiſſimorum dogmatum proſcriptionem, ad Auguſtini cæterorumque Patrum contemtionem, inſigniter abutuntur.

Latius manavit hoc malum, quam ut ultra diſſimulari queat: hujusque eſt gravitas tanta, ut hoc uno poſſit remedio conſanari. Cum enim propoſitiones Quesnellianæ ferme omnes, ſe ipſis quidem ambiguae ſint. variis que ſenſibus obnoxiae; iisque pares acque conſimiles loquendi formulæ atque ſententiæ divinis in Litteris, in

A 4

Pa-

Patrum Codicibus, in Conciliorum Decretis passim occurrant; ingens profecto in Theologica disciplina confusio nascitur atque turbatio, nisi damnatus a Clemente XI. propositionum sensus explicetur, & ab indemni sacrarum Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum sensu, apertissime distinguatur.

Fideles quippe, iique numero plures, quibus fatis non est acuminis & ingenii, ut damnatum sensum ab indemni distinguant, Ecclesiae Patres ac Synodos sub Quesnellii corio vapulare, imprudenter existimant. Vafri nonnulli scribillatores, ea variorum sensuum, quibus damnatae propositiones obnoxiae sunt, confusione abusi turpiter, latam a Clemente censuram in receptissima probatissimaque catholicarum scholarum dogmata maligne detorquent; ipsumque D. Augustinum, nunc tandem redactum in ordinem, ac per Quesnellii latus Pontificia censura petatum, audacter effutiunt. Episcopi quoque non pauci, qui Clementinam Constitutionem reverenter ut officium postulat, acceperunt, interno inter sese dissidio commissi, eandem, prout variis aucuntur affectibus, contrario ac pugnante sensu interpretati,

alia

alia alii dogmata in suis diocesisibus recipi, aut rejici volunt; prout ea Clementis iudicio damnata sibi fingunt, aut forte permissa. Quo fit, ut sublata scholis Catholicis libertate non una jam ubique sit fides; sed varia variis in Ecclesiis teneatur; quique in una Orthodoxi Theologi audiunt, in altera haeretici, aut certe suspecti, minusve Catholici habeantur. Quid tandem? Haeretici, quibus Romanam Ecclesiam calumniis proscindere solenne est, eodem semper ludentes damnatarum propositionum aequivoco, violatam Clementina Constitutione Apostolicam fidem, rescissam morum disciplinam, solutas sanctissimas leges, inductam laxitatem, instauratum Pelagianismum impie criminantur: quod nefario ausu tentavit nuper Joannes Frichius, Minister Ulmenfis, vulgato famoso libello, cui probrosum titulum dedit, *Clementis in clementia examinata*.

Huic porro tanto malo, quod aliorum quidem hominum ignorantia, aliorum protervia fecit, alia nulla via ac ratione occurrere posse arbitrantur omnes boni, quam si certo aliquo documento, cui fides debeatur integra, palam universis Theologis fiat, quo quaeque propositio damnata sit sensu,

A 5

quo

quo relinquatur indemnis; idque distincte singulatim et individue: quod se facturum sponderat Clemens XI. ubi semel Constitutionem suam universæ Ecclesiæ accepissent, debitamque illi obedientiam præstitissent. Quidni ergo id modo faciat Clemens XII. ex quo Ecclesiæ universæ constitutionem illam acceperunt?

Quod enim, ut hoc scholis bonum invident, ac etiam procul avertant, suggerunt aliqui, opportune satis publicæ rei prospectum iri, si vage dumtaxat ac generatim declaretur, propositiones se ipsis ambiguas, variisque sensibus obnoxias, in sensu dumtaxat Auctoris, qui Jansenianus & Calvinianus judicatus est, fuisse proscriptas; non itidem Augustiniano atque Thomistico sensu, qui sanus semper & Orthodoxus est habitus: id inquam frivolum est, & ab iis dumtaxat obtrudi solitum, qui novam sibi struendæ calumniæ viam aperiri mallent, quam tranquillitatem et pacem Catholicis scholis afferri. Nisi enim distincte notetur ac declaretur, quis ille sit Auctoris sensus, qui & Jansenianus & Calvinianus Clementi XI. visus est, atque ita juste damnatus; deo ad navim usque, majorique contentione disputabitur. Cum

Ques-

Quesnellii sensum de divinæ gratiæ efficacia, Augustinianum atque Thomisticum esse nonnulli contendunt, eaque ratione damnatum velint: nostraque demum ætate inventi sint Molinianæ scholæ Professores, (Liberius Gratianus, denunciatores Herminei & Habertii) qui gratiam seipsa efficacem, qualis in scholis Thomisticis traditur, purum putumque Calvinii atque Jansenii errorem dicere, scriptoque probare atque defendere non erubuerint.

Quid, quod in aliquibus propositionibus, Clementino judicio proscriptis, frustra sensus quæretur Auctoris, in quo re ipsa non extant, sed mutilatæ a delatoribus ac detruncatæ Censorum judicio subjectæ sunt, ut 29. & 59. In multis vero per sese ambiguis assertionibus, quibus sensus potest subesse geminus, uter scriptoris re ipsa fuerit, nec ex antecedentibus, nec ex consequentibus, nec ex tota textura sermonis reteri potest. Cum Quesnellius desultoria methodo scripserit, suasque *in novum Testamentum considerationes*, atque sententias dederit, nudas ac sparsas, disjunctas invicem, nullaque secum sermonis textura colligatas.

Ut

Ut fileam, generalem illam & vagam declarationem, qua Quesnellianæ propositiones, Calviniano duntaxat ac Janseniano sensu, non item Augustiniano atque Thomistico damnatæ dicerentur (si quid forte prodesse posset) remedium tamen gliscenti malo minus integrum allaturam: cum earum bene multæ nihil cum Jansenianis aut Calvinianis erroribus commune habeant; ut hoc illis possit qualecunque temperamentum accommodari; aliaque Theologiæ spectent argumenta, de quibus nihil unquam Calvinus, nihil Jansenius scripsere, aut de iis cum Ecclesia Catholica recte censuerunt.

Futius est longe multo, quod suggerunt alii, ut optatam explicationem scholis invideant, ac etiam impediant: sat bene Religioni ac fidei consultum iri, si Quesnellianæ propositiones damnatæ simpliciter declarentur, *in sensu obvio, quem verba ipsa præferunt.* Ecquis enim nesciat, propositiones ex ipsa verborum textura ambiguas, quas & æquivocas dicunt, (quales ex Quesnellianis multæ sunt) sensum per sese obvium non habere: cum ob id ipsum æquivocæ dicantur atque ambiguæ, quod sensum non habeant per se ob-

vi-

vium, qui se statim legentium mentibus offerat? Quisve primo oculorum conjectu non videat, Quesnellianarum propositionum bene plurium sensum per sese legentibus obvium, sanum esse & Orthodoxum; easque nonnisi secretiori occultiorique sensu, qui Auctoris est creditus, damnari, proscribique potuisse? Quod de 27. 66. 69. 76. 82. 84. 85. 98. 101. aliisque nonnullis, nemo negaverit.

Cui & illud addendum, in disjudicando Theologicarum propositionum sensu per sese obvio non omnes perinde Theologos convenire: sed prout varie sunt affecti, diversarumque scholarum principiis sunt imbuti, suisque præjudiciis occupati, alios alium sibi eiusdem propositionis sensum obvium experiri. Sic fane qui sensus propositionis alicuius, per sese obvius est Thomistæ Theologo, non perinde obvius est Molinistæ; quia diversis, ut ajunt, ad videndum judicandumque utuntur conspiciis. E. g. ubi decimam e damnatis propositionibus ambo legent, atque perpendent: *Dei gratiam nihil impedire potest, aut retardare;* Thomista quidem sensum illius obvium dicet esse Calvinianum *Nece-*

ste

Et justeque damnatum agnosceret: Molinista e contrario, Thomisticum gratiae se ipsa efficacis ac praedeterminantis sensum, propositionis illius obvium dicet esse, cumque idcirco damnatum proscriptumque iactabit, uti & re ipsa iactarunt aliqui.

Non est ergo quod a nonnullis obtruditur, tanto quod inolevit malo, remedium opportunum. Sed illud superest unicum, quod & boni omnes suppliciter orant: si distincta & individua damnatarum propositionum explicatione, quis in singulis damnatus sit sensus, quis relictus indemnis, quæ cuique propositioni afficta sit nota, Theologis innotescat.

Calliditatis si quidem plenum est, quod infusurrant aliqui, ut Sanctitatem Vestram, ab ea variorum, in damnatis propositionibus, sensuum explicatione supplicibus concedenda, procul avertant: *Quamcumque scilicet propositionem, cui pravus fortasse sensus subest, explicatione non egere ut juste damnetur; quamquam in rectum sensum flexi commode possit: sed absolute, nullaque sensuum adhibita distinctione configi, in Ecclesia consuevisse:* (quod congestis variarum Censurarum exemplis ostendit Natalis Alexander, in Appendice Dissertationis 12. in Hi-

Historiam Ecclesiasticam Sæculi 13. & 14.) Atque ita inquirunt illi, Quesnellianas propositiones, quibus pravum aliquem sensum subesse posse nemo negaverit, explicari a Sanctitate Vestra non debere, ut rectus, qui itidem illis subest, sensus servetur indemnis: Id inquam calliditatis plenum est: Etsi enim ea variorum discretio sensuum, in ipsis districtis censuris persæpe facta non sit: ubi tamen ex latis ante censuris obortæ sunt turbæ, contentiones, & rixæ; variæque a malevolis confictæ sunt interpretationes, quibus sanus & orthodoxus ambiguarum propositionum sensus censura petitus obtendebatur; (ut accidit in præsentia) tunc certe, si forte non ante, pastoralis charitatis fuit, ne dicam æquitatis, muneris & officii, varios damnatarum propositionum sensus exponere, & in quem censura ceciderit, declarare. Ut vel sic turbæ filescerent, suusque violatæ veritati fervaretur honos; ac ne quis latis in propositiones se ipsis ambiguas censuris abuteretur.

Sic sane, cum anno 270. Synodus Antiochena hanc Pauli Samosatani propositionem, Christus est *ὁμοαὶος* Patri, absolute & absque sensuum distinctione damnaf-

nasset; Nicæna subinde Synodus, ut Ari-
nis ea damnatione turpiter abusus ora præ-
cluderet, ambiguae vocis hujus ὁμοσιον,
varios sensus exposuit, pravumque a recto
genuinoque distinxit, in collationibus at-
que tractatibus, antequam eam Catholico
sensui redditam transferret in Symbolum:
uti testis est Eusebius Epistola ad Cæsa-
rienses suos: *postquam accurate pervestiga-
tum est, quamam bis verbis subjecta esset
sententia.*

Sic cum hæc Eutychianorum asser-
tio: *Una est Verbi Incarnati Natura*, in
Concilio Chalcedonensi, absolute & abs-
que variorum distinctione sensuum pro-
scripta fuisset; tumultuantibus postmodum
Eutychianis, Divosque Cyrillum & A-
thanasium una secum damnatos inclaman-
tibus, Gelasius R. P. varios ambiguae per
sefe propositionis sensus exposuit, libro
contra Eutychem scripto, sensumque Cy-
rilli & Athanasii, quibus pares loquendi
formulæ interdum exciderant, indemnem
pronunciavit.

Sic dum Hormisdas Scytharum Mo-
nachocum assertionem: *Unus de Trinitate
crucifixus est carne*, absolute, nullaque
data sensuum distinctione proscriptisset, sin-
minus

minus ut hæreticam, at certe uti pro con-
ditione temporum periculosam; secutis
tamen inde temporibus, ac secluso peri-
culo, cunctisque fidelium Eutychianum
sensum reiicientibus, hanc ipsam propo-
sitionem in Catholicum sensum inflexam
Joannes II. R. P. approbavit, & catholi-
cam dixit, Epistola ad Justinianum Impe-
ratorem data, probaruntque deinceps
quinta Synodus Oecumenica Can. 10. &
Concilium Lateranense sub Martino V.
Can. 2.

Sic cum sexta Synodus Oecumenica,
lectas Honorii ad Sergium Epistolas, eius-
que memoriam absolute damnasset; Joan-
nes tandem hujus nominis IV. explicato
obscurarum Epistolarum sensu, Honorium
erroris absolvit, eiusque Apologiam ad
Constantinum Imperatorem Heraclii filium
destinatam adornavit.

Sic ne longius excurramus, cum Be-
nedictus II. binas istas S. Juliani Toletani
Archiepiscopi propositiones absolute dam-
nasset: *In Deo voluntas ex voluntate proce-
dit . . . Christus ex tribus substantiis con-
flatus est*; turbatis subinde Hispanorum
Præsulum animis, qui has ipsas propo-
sitiones, ab Augustino, Ambrosio, Cyril-
lo,
B

lo, Fulgentio, recto sensu assertas, in Concilio Toletano 15. judicaverant; Sergius hujus nominis I. laudatorum Patrum sensum innoxium dixit, & ab omni censura liberum pronunciavit: ut refert Rodericus Toletanus Archiepiscopus Lib. 3. de rebus Hispanicis Cap. 14.

Quidni igitur in præsentia, postquam Clemens XI. propositiones tam multas variis sensibus obnoxias, absolute nulla-que facta sensuum distinctione proscripsit; quidni inquam præsens hodie Pontifex sensum, quo unaquæque proscribi meruit, nobis aperiat? Non ut Quesnellius absolvatur, de cuius & sensu & mente nihil solliciti sumus; sed ut suus Apostolicæ Sedi fervetur honos; oraque loquentium iniqua tandem aliquando obstruantur; qui Clementem sua illa districta censura, summos Ecclesiæ Patres, sacra Concilia, divinas etiam Litteras, quibus pares insunt loquendi formulæ, sub Quesnellii nomine prædamnasse, mentiuntur.

Præterquam quod non est id verum omnino, quod Natalis Alexander affirmat; eum nempe in Ecclesia morem viguisse semper, ut propositiones ancipites, variisque sensibus obnoxiae, modo quis pravus
sub-

subsit eis, absolute atque simpliciter, nulla adhibita sensuum explicatione damnentur. Immo quandoque in ipsa lata censura, sensuum distinctio, & explicatio a Conciliis & Pontificibus facta est, ut dissensiones & rixæ præcaverentur. Hinc in Concilio Constantinopolitano II. vox Christipara, qua superiorum temporum Patres innoxie usi fuerant, ad Mariam Christi Domini Matrem designandam, proscripta tandem est atque rejecta, eo tamen exposita sensu, *tamquam si Christus, quem Maria genuit, non esset Deus*: ne prisci Ecclesiæ Patres rejecti atque proscripti viderentur. Nostraque demum ætate Innoc. X. Arnaldinas de Petro & Paulo propositiones proscribens: *Sanctus Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui unicum efficiunt . . . sunt duo Ecclesiæ corriphei, ac supremi Duces, summa inter se unitate conjuncti . . . sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissime coaluerunt . . . sunt duo Ecclesiæ summi Pastores ac Præsides, qui unum Caput constituunt*: has, genuini sensus explicatione data, ac ipsi etiam Decreto innexa, atque intexta, confixit die 24. Januar. 1647. *Propositiones has ita explicatas, ut ponant*

omnimodam, aequalitatem inter S. Petrum & S. Paulum, sine subordinatione & subiectione S. Pauli ad S. Petrum, in potestate suprema & regimine universalis Ecclesiae, Ss. Dominus haereticam censuit & declaravit.

Iis itaque callidis fufurronibus filere jussis prodeat nunc tandem expetita diu Clementinae Constitutionis explicatio. Cuius quidem quanta necessitas urgeat, quanta, ni detur, Catholicis scholis impendeant mala; quis dandus videatur damnatis inibi propositionibus sensus, sequentes observationes in singulas propositiones, ad certa capita pro varietate argumenti revocatas, plenius indicabunt; donec aliter interpretari, alterumque illis sensum tribuere jubeamur: quo casu, ut officium postulat, reverenter obsequemur.



CAPUT I. DE LECTIONE SCRIPTURÆ SACRÆ.

§. I. PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ CENSURA NOTATÆ.

Propositio in Clementinae Constitutionis indiculo 79. *Utile est & necessarium, omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere & cognoscere spiritum, pietatem, & Myseria sacrae Scripturae.* Refl. moral. in 1. ad Cor. C. XIV. v. 5.

Propositio 80. *LECTIO sacrae Scripturae est pro omnibus.* Act. Ap. C. VIII. v. 28.

Propositio 81. *Obscuritas sancta verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi seipsos ab eius lectione.* Act. Ap. C. VIII. v. 31.

Propositio 83. *Est illusio sibi persuadere, quod notitia Myseriorum Religionis non debeat communicari saeminis lectione sacrorum librorum: Non ex saeminarum simplicitate, sed ex superbia virorum scientia ortus est scripturarum abusus, & ortae haereses.* Ev. Joan. C. IV. v. 26.

OBSERVATIO.

Tanta est propositionum illarum cum veterum Patrum sententiis, quo ad verba saltem & syllabas, consonantia, ut nisi sensu summopere distare, Theologi doceantur, Patres ferme omnes sub Quesnellii corio, in Clementina Constitutione, vapulare, nemo prima fronte non putet.

Scripturæ siquidem sacræ lectionem omni personarum generi congruere, omnibusque etiam Laicis & simplicibus esse necessariam (quod priores istæ duæ propositiones habent) docent etiam Patres, iisdem ferme verbis; omnesque promiscue de populo ad eam lectionem hortantur; ac si qui per sese legere nesciunt, ut eas sibi ab aliis legi curent, frequentissime monent. Ita S. Joan. Chryf. hom. 3. de Lazaro: hom. 2. in Matth. & hom. 9. in Epist. ad Coloss. Origenes hom. 9. in Levit. S. Basil. in Regulis brevioribus Reg. 95. S. Gregor. Nyssenus in Psalmos. S. Ambros. in Psal. 118. & Præf. in Lucam. S. August. Lib. 6. Conf. C. 3. Lib. 7. C. 20. Lib. 5. de Genesi ad Litt. C. 3. Lib. de vera Relig. C. 51. Sermonibus 57. & 58. de Sanctis. S. Gregor. Papa hom. 15. in Evang. & 15. in Ezech. Præf. in Lib. 20. Moral. & Epist. ad Leandrum Hispalensem.

Quorum vestigiis insistens D. Thomas 1. part. quæst. 1. art. 9. *Scriptura sacra*, inquit, *communiter omnibus proponitur . . . & ideo spiri-*
tua-

tualia sub similitudinibus corporum proponit; ut saltem vel sic rudes eam capiant, qui ad intelligibilia secundum se capienda non sunt idonei. Et Gregorius IX. Rom. Pont. Epist. 6. ad germanicum Patriarcham Constantinopolitanum: Cum juxta testimonium veritatis, occasio sit errorum ignorantia scripturarum, cunctis expedit illas legere vel audire.

Obscuritatem pariter verbi Dei non esse Laicis rationem dispensandi seipsos ab eius Lectione, (quod habet tertia notata propositio) docet aperte S. Joan. Chrysostomus, laudata jam homil. 3. de Lazaro: *Propterea, inquit, Spiritus gratiæ dispensavit ac providit, ut Publicani, Piscatores, Tabernaculorum Opifices, Pastores, Idiotæ, illiterati hos libros componerent; ne quis idiotarum ad hanc difficultatis excusationem confugere possit: ut & opifex & famulus, & vidua mulier, & omnium hominum indoctissimus ex audita lectione aliquid lucri, utilitatisque reportaret. Idem habet Origenes Lib. 4. & 6. contra Celsum. S. Joan. Chryf. hom. 10. in Evang. Joannis. S. August. Lib. de utilitate credendi Cap. 6. & Lib. 6. Conf. Cap. 5.*

Congruere demum mulieribus lectionem scripturarum, (quod ultima propositio ponit) etsi jam satis ex laudatis Patrum testimoniis liquet, apertius multo constat ex Epistolis D. Hieronymi ad Eustochium, ad Demetriadem, ad Principiam, ad Lætiam; & D. Augustini ad Paulinam, ad Florentiam aliasque Virgines; quibus illas ad sacrarum scripturarum studium

adhortantur, gravissimisque documentis juvant, ad eas & legendas, & intelligendas. Constat & id ex D. Ambrosio Lib. 7. de Virginibus Cap. 3. & 4. ex D. Basilio Lib. de Virginitate, & ex D. Gregorio Magno Lib. 3. Registri Epist. 74. & Lib. 4. Epist. 40.

Sic sane de utilitate atque necessitate legendi Scripturam sacram loquuntur Patres, generatim quidem & univérse, ac juxta prioris ævi disciplinam.

Periculum igitur est, ne pari cum Quesnellio Censura confixos a Clemente XI. summos Ecclesiæ Patres Calviniani ac Lutherani deblaterent, uti reipsa deblaterarunt: nisi quo sensu propositiones illæ quatuor in Quesnellio damnatæ sunt, quove vicissim sensu pares in Patribus loquendi formulæ indemnes relictæ sint, declaretur.

Quapropter ut inferendæ calumniæ, cavillandæque Constitutionis Clementinæ tollatur occasio, illud primum doceri Theologi suppliciter rogant: An non a Clemente damnatæ dicendæ sint propositiones illæ quatuor, intellectæ duntaxat de absoluta & generali, a qua nemo possit eximi, obligatione legendi Scripturam sacram, nulla habita ratione interdicti aliquibus facti: sic tamen ut relinquuntur indemnes, in eum sensum acceptæ, quod scripturæ lectio per sese spectata & absolute, sit utilis, salutaris, pia, religiosa, atque uti talis omnibus consulenda, quibus aliunde peculiari

de

de causa interdicta non est. Quæ sane laudatorum Patrum sententia fuit. Quamquam enim de utilitate & necessitate legendi Scripturam sacram, generatim & univérse pronunciarint; eamque lectionem omni personarum conditioni congruentem, ac etiam necessariam dixerint; ab ea tamen lege exceptos aliquos non negarunt; imo lectionem illam aliquibus ex parte saltem interdictam olim ac vetitam monuerunt. Origenes enim in Prologo ad Cantica Canticorum, Hieronymus in Prologo ad Ezechielem, Theodoretus Proœmio item ad Cantica, lectionem priorum Capitulorum Geneseos, integræ Prophetiæ Ezechielis, totiusque libri Canticorum, ante annum ætatis 30. simplicibus fidelibus vetitam scribunt, pro more scilicet & usu veteris Synagogæ. Monet quoque D. Basilius Epist. 1. ad Chilonem, a veteris Testamenti lectione nonnullis esse supersedendum; *non quod, quæ in eo scripta sunt, noxia sint, sed quod infirmus sit eorum animus, qui ea lectione offenduntur.* Quæ causa nunc est interdicti rudioribus fidelibus facti, ne sacras Scripturas in vernaculis versionibus legant.

§. II.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ CENSURA NOTATÆ.

Propositio in indiculo 84. *Abripere e Christianorum manibus Novum Testamentum, seu illud eis clausum tenere, auferendo eis modum illud in-*

telligendi, est illis Christi os obturare. Refl. moral. in Ev. Matth. C. V. v. 2.

Propositio 85. Interdicere Christianis lectionem sacrae Scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis filii lucis, & facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis. Luc. C. XI. v. 33.

OBSERVATIO.

Obvium, quique se primo legentibus offert propositionum illarum sensum, si ab aliis avellantur, nemo non probat. Quid enim, si de prima facie rem spectes, iniquius videatur, quam paterni divinique Testamenti lectionem filiis interdicere, ad quam potius prisci Ecclesiae Patres, atque Pontifices fideles omnes, ac ipsos etiam Laicos adhortantur; ut tanquam ad se singulos transmissam Creatoris epistolam assidue meditentur, discantque cor Dei in verbis Dei? Ad laicum enim virum, Theodorum scilicet Medicum data est Gregorii Magni Epistola 84. Lib. 4. Registri, ubi sic habet: *Quid est Scriptura sacra, nisi quaedam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? Et certe sic ubi esset gloria vestra alicubi constituta, & scripta terreni jam Imperatoris acciperet, non cessaret, non quiesceret, somnum oculis non daret, nisi prius quid sibi Imperator terrenus scripisset, agnovisset. Imperator caeli Dominus & Angelorum, pro vita tua tibi suas epistolas transmissit; & tamen gloriose fili eandem epistolas ardentem legere negligis? Stude ergo quæso*
cor

cor Dei in verbis Dei, ut ardentius ad æterna suspires, ut mens vestra ad caelestia Regna majoribus desideriis accendatur.

Nisi ergo quo sensu binæ illæ propositiones in Quesnellio proscriptæ sint, innotescat; verendum maxime, ne veterem illam nœniam Heterodoxi fidentius occurrent; qua Scripturam sacram tanquam vetitæ lectionis librum, a Romanis haberi impie criminantur.

Illud itaque explicari sibi postulant Viri Theologi, num a Clemente XI. proscriptæ duntaxat fuerint propositiones illæ duæ, quatenus quamcumque legendi novi Testamenti inhibitionem, etiam justa de causa ab Ecclesia aliquibus factam, inculpate & incusare videntur? Quamquam indemnes illæ forent, si lectionem illam non esse generatim & universim, ac sine justa causa interdicendam, simpliciter dicerent. Quæ sola fuisse videtur D. Gregorii, cæterorumque laudatorum Patrum opinio, dum fideles omnes, ac ipsos etiam Laicos, ad eam lectionem invitant, a quorum profecto mente ne præsens quidem Ecclesia recedit; quæ perinde ad eam lectionem invitat universos, modo ne Dei verbum in vernaculis versionibus legant, quæ multis periculo forent.

§. III.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA INUSTA.

Propositio In Indice 82. *Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super*

super omnia sacrarum Scripturarum. Damnosum est Christianum ab hac lectione retrahere velle. Refl. moral. in Act. Ap. C. XV. v. 21.

OBSERVATIO.

Divus Ambrosius ad priorem huiusce propositionis partem digitum intendisse videtur Lib. de fide Resurrectionis, planeque existimasse, Dominicos, aliosque festivos dies sine sacrarum Scripturarum lectione, pie ac religiose transigi non posse. Cum enim *Tubarum ductiles*, de quibus Moyses Num. 10. loquitur, sacras Scripturas per allegoriam intelligi debere præmisisset, subjungit: *Non soli hostes, harum Tubarum sonitu vincuntur; sed & delectationes, & dies festi, & Neomeniæ, sine his esse non possunt. Nemo enim potest, nisi divini hauriat promissa sermonis, & resultantibus credat oraculis, exultare lætitia, diesque festos, aut Neomenias agere; quibus se corporali gratia, & sæculari occupatione vacuatum, Christi repleti luce desiderat. Quocirca refert D. Justinus Martyr Apologia II. ad Antoninum Imperatorem, Christianos omnes diebus Dominicis in unum convenire solitos esse, ut scripta Apostolorum & Prophetarum legerent, quantum per tempus liceret. Narrat quoque ex Philone Judæo Eusebius Cæsariensis Lib. 8. Præparationis Evangelicæ, Judeos olim diem Sabbathi colere solitos fuisse, legendo audiendoque passim in domibus Dei verbum.*

Quin

Quin etiam Nicolaus I. Rom. Pont. C. 11. dati Responsi ad consulta Bulgarorum, piorum sacrarumque librorum lectionem iis accenset *piis operibus*, quibus dies festi sunt celebrandi atque colendi. Quod idem faciunt docti plerique religiosique posterioris ævi morum Institutores; ac inter alios maxime sanctus Antoninus part. 2. summæ Tit. 10. Cap. 7. §. 4.

Hæc cum Clementem aut ignorasse, aut damnasse incredibile sit, an non mentem eius felicius assequetur, qui dixerit: eum primam illam confixæ propositionis partem damnasse duntaxat, sic acceptam & intellectam, quasi alia nulla sit Dominicæ diei sanctificandæ ratio, quam sacrarum Scripturarum, aliorumque piorum librorum lectio; aut quasi sine eo pietatis officio, sanctificari dies illa omnino non possit; aut demum quasi ad illud implendum pietatis officium, nihil curandum sit factum aliquibus interdictum Scripturæ sacræ in vernaculis versionibus lectitandæ: non itidem sic acceptam propositionem confixisse, quod inter pietatis officia, quibus Dominica dies sanctificari potest, ac etiam debet piorum librorum, ac tum maxime divinarum Scripturarum lectio sit etiam computanda; iis maxime fidelibus, quibus aliunde peculiari de causa non est interdicta.

Pars propositionis altera eandem postulat interpretationem ac superior propositio 84. cum qua & verbis, & sensu plane congruit.

Illud



Illud etiam superiorum omnium propositionum occasione rescire Theologi vellent: num legendæ Scripturæ sacræ vernaculo idiomate redditæ interdictum, res sit meræ disciplinæ, non fidei; in qua celeberrimis olim Ecclesiis licuerit, liceatque modo suis stare institutis & usibus; modo prudentem illarum Episcopi diligentiam adhibeant, ne divinarum lectio Scripturarum, per se quidem salutaris atque laudanda, nonnullis noxia & periculosa contingat? Dubitandi ratio est, quod cum ea de re aliquamdiu in Concilio Tridentino disceptatum esset, num scilicet ea Germaniæ ferenda esset disciplina, quæ sacrarum Scripturarum usum lingua vernacula simplicibus fidelibus licitum facit, censuerunt legati Præsides: *Relinquendam esse unamquamque Nationem in suis institutis, ut quod sibi necessarium, vel utile censet, amplectatur*: ut habet Odericus Raynaldus in Annalibus ad annum 1546. num. 34. Unde effectum tandem est, ut Germanicæ & Gallicanæ Ecclesiæ, Indicis Regulam, *de sacris Bibliis vulgari lingua passim ac sine discrimine minime permittendis*, nusquam admiserint; uti Serrarius in Prolegomenis Bibliorum Cap. 20. quæst. 2. Paulus Laymanius in Compendio Theologiæ Moralis Lib. 2. Tract. 1. de Fide Cap. 15. Veronius Præfatione 3. in versionem Novi Testamenti, fidenter affirmant; noruntque quotquot earum regionum mores agnoscunt.


Ne



Ne igitur suos circumscriptos damnatosque mores & usus Germanicæ & Gallicanæ Ecclesiæ conquerantur; neve novum conversioni suæ obicem patiantur regionum illarum Heterodoxi, qui vetitam sibi Scripturæ sacræ lectionem plus nimio quererentur, si ad Ecclesiæ gremium accederent; rescire Theologi optant; num sat bene veritati consultum esset, si notatæ hætenus, de lectione Scripturæ sacræ, Quesnellianæ propositiones, a Clemente XI. proscriptæ dicerentur; quod generatim & univèrse ab auctore prolatae fuerint, non restrictæ, & ex peculiari Ecclesiæ Gallicanæ disciplina?



CAPUT II. DE DIVINORUM OFFICIORUM CELEBRATIONE.



§. I.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio in Indiculo 86. *Eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei.* Resl. moral. In. 1. ad Cor. C. XIV. v. 16.

OBSERVATIO.

Ex prisca Ecclesiæ disciplina compertum est, nusquam hoc solatium simplici populo fuisse negatum, ut & ipse vocem suam totius Ec-



Ecclesiæ voci adjungat, orantique Clero respondeat; modo & ipse eandem cum Clero linquam loquatur, præscriptumque ab Ecclesia sacrum idioma inter orandum usurpet. Communem enim Cleri simul & populi Psalmodiam, a primis Ecclesiæ temporibus factam, mixtasque simul in Dei laudem Clericorum & Laicorum voces, testantur disertissime S. Joannes Chrysostomus in Psalm. 41. S. Basilius Epist. 63. & in expositione in Psalm. 1. Theodoretus Lib. 2. Cap. 24. Sozomenus Lib. 8. C. 8. D. Augustinus Lib. 9. Conf. Cap. 7. & Tract. 22. in Joannem. Hinc Justinus Martyr Apolog. 2. *Absolutis, inquit, precibus, & gratiarum actione, quilibet de populo, qui adest, sanctis vocibus acclamat amen.* D. Augustinus Lib. 2. contra Epistolam Parmeniani Cap. 7. *Cum Episcopus solus intus est, populus orat cum illo, & quasi subscribens ad eius verba, respondet amen.* Et in fragmento sermonis contra Pelagianos, *Amen vestrum subscriptio vestra est, consensio vestra est, ad stipulatio vestra est.* Quotquot etiam prisci Ecclesiæ Patres nonnihil obiter, de Sacerdotis sacrificantis orationibus, alta voce fundi solitis tradidere, ut S. Cyprianus Lib. de Oratione. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. Mystagoga. S. Joan. Chrysost. hom. 18. in Epist. 2. ad Corinth. ea omnia ab adstante plebe responderi notant, quæ nunc a ministrante Clerico respondentur. Immo qui media ætate de ordine Missæ scripsere, Alcuinus Lib. de divi-

nis



nis officiis. Florus Diaconus Lib. de Actione Missarum. Walafridus Strabo Lib. de Rebus Ecclesiasticis. Amalarius Lib. de Officiis Eccles. Remigius Altisiodorensis Lib. de Celebratione Missæ, ea semper in ore plebis adstantis verba ponunt, quæ modo a ministrante Clerico proferuntur. Adeo verum est, plebis vices nunc Clericum agere; atque ita plebem ipsam voci totius Ecclesiæ supplicantis, vocem suam adjungere posse, unisonam tamen (ut ratio ipsa postulat) atque concordem.

¶ Nullo publico (quod sciam) Ecclesiæ decreto ea antiquata est disciplina: immo viget adhuc ex parte in plerisque Germaniæ & Gallicæ Provinciis: ubi promiscua populi multitudo, alta etiam voce, cum Clero latine suppliciter orat, easdemque cum illo precum formulas solenniter recitat, voces jungit & vota.

Theologorum igitur scire interest; num etiam Clemens XI. sua illa in propositionem 86. lata censura, hoc simplici populo qualecumque solatium ereptum omnino voluerit? An potius vernaculæ duntaxat linguæ usum in divinorum officiorum celebratione vetuerit? Ne scilicet christiana plebs *vernaculam linguam* oranti Clero possit adjungere.



C

CA-

CAPUT III.
DE DILATIONE ABSOLUTIONIS,
ET RECONCILIATIONIS POENITEN-
TIUM.



§. I.

QUESNELLIANÆ PROPOSITIONES
CENSURA NOTATÆ.

Propositio 87. *Modus plenus sapientia, lumine, & charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere iustitiæ Dei, antequam reconcilientur. Refl. moral. in Act. Ap. C. IX. v. 9.*

Propositio 88. *Ignoramus, quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit; & detrahimus separationis illius ferre confusionem. Luc. C. XVII. v. 11. & 12.*

OBSERVATIO.

Absolutionem reconciliationemque peccatorum quandoque esse differendam (ubi maxime de publicis peccatoribus, de graviorum criminum reis, de relapsis, aliisve malo cæterorum exemplo, & ex consuetudine peccantibus agitur; aut ubi de peccatoribus male dispositis, ac necdum sincerum pœnitentiæ spiritum habentibus quæstio fit) usque adeo cer-

certum est, ut otiosi commentatoris fuerit, sacrorum Conciliorum Canones, Romanorum Pontificum statuta, Ss. Patrum ea de re documenta velle hic recensere. Quin etiam differendam iis in casibus, ac etiam quandoque negandam absolutionem, mandant Rituales Ecclesiæ Romanæ libri postrema ætate editi, Concilii Tridentini Catechismus ad Parochos, Institutiones S. Caroli Borromæi, Synodorum post Tridentinam celebratarum statuta, ac boni quique moralis doctrinæ Magistri: ne quis antiquata ea de re majorum decreta possit obtendere.

Hæc ne putentur a Clemente XI. convulsa atque rescissa, rescire Theologi vehementer exoptant: an non sint ab illo confixæ propositiones illæ duæ, de quibusvis promiscue peccatoribus generatim acceptæ? Non itidem de publicis, ut diximus, peccatoribus, de relapsis, de graviorum criminum reis, aliisve malo cæterorum exemplo, atque ex consuetudine delinquentibus; aut etiam de peccatoribus minus bene dispositis, verumque pœnitentiæ & contritionis spiritum necdum habentibus? Quos omnes amissorum bonorum possessioni statim ac sine mora restitui vetant sacri Canones.

§. II.

QUESNELLIANA PROPOSITIO CEN-
SUA NOTATA.

Propositio 89. *Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit jam reconciliatus,*

tus, habet jus assistendi sacrificio Ecclesiae. Refl. moral. in Luc. C. XV. v. 23.

OBSERVATIO.

Qui priscam Ecclesiae disciplinam vel ex prima facie norunt, illud profecto comperitum habent, Ecclesiam publicos olim poenitentes, nondum reconciliatos, debitisque poenitentiae laboribus minime functos, e sacro fidelium coetu, ne incruento altaris sacrificio praesentes adessent, procul egisse; ac de templo, antequam salutaris hostia offerretur, pepulisse. Nota est illa Diaconi vox, sub ipsum sacrificii prologium, mitti solita: *Sancta sanctis: exite quaequot estis in poenitentia.* Hinc facile intelligitur, peccatores necdum reconciliatos jus habere nullum, ut altaris sacrificio intersint: si quod enim haberent, Ecclesia, ut est juris & aequi retinentissima, nusquam id eis dnegasset, ne tam atrocem illis injuriam faceret. Quod igitur in praesenti, ob antiquatum publicae poenitentiae ritum, altaris sacrificio peccatores intersint, quamquam nondum sint per absolutionis beneficium reconciliati, non id habent *jure summo ac stricto*, sed ex mera Ecclesiae indulgentia, quae id eis benigne concessit, ut sacrificio praesentes, facilius ad poenitentiam excitentur, ac moveantur. Idque illis indulgere Ecclesia veluti compulsa est, quod abrogato publicae poenitentiae ritu, quoniam adhuc in poenitentia sint, nondum Deo

re-

reconciliati, minime norit, eosdemque publica expulsionem manifestos fieri, non expediat.

Hæc cum Clementem ignorasse impossibile sit, declarari sibi Theologi reverenter exposcunt: num Quesnellianam propositionem duntaxat confixerit, de jure improprio, ex Ecclesiae scilicet indulgentia obtento (quod facultas verius & concessio, quam jus dici debeat) intellectam, non de stricto ac veluti nativo jure, ex propriis meritis asserto sumtam & explicatam? Cum jus illud strictum duntaxat videatur habere reconciliatus Deo peccator, ut scilicet altaris sacrificio possit adesse.

Rursus, cum jus illud Missae sacrificio assistendi, peccatoribus nondum reconciliatis tandem aliquando concessum, in praeceptum Ecclesiasticum subinde transierit (ad sacrum enim audiendum praecepto tenentur & ipsi) scire Theologi vehementer optant; num propositionem illam damnaverit Clemens, de jure permissivo simpliciter intellectam; quo nempe peccatores cedere pro libito possint, sacri auditione neglecta; non de jure in praeceptum converso, quo sine peccato cedere nequeant?



C 3

CA-

CAPUT IV. DE IMPIORUM ORATIONE.



§. I.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CEN- SURA NOTATA.

Propositio 59. *Oratio impiorum est novum peccatum: Et quod Deus illis concedit novum in eos iudicium.* Refl. moral. in Ev. Joan. C. X. v. 25.

OBSERVATIO.

Indefinita apud Quesnellium non legitur huiusmodi propositio, sed restricta certisque limitibus circumscripta. Nempe cum de Oratione aperte agat Quesnellius, *iniquo, maligno, arroganti, ingrato, fallaci animo facta* (qualis erat Judæorum ad Christum supplicatio, *si tu es Christus, dicito nobis*) considerationem subiungit Auctor his verbis expressam: *Talis oratio impiorum est novum peccatum: seu ut scribit gallice, Une telle priere est un nouveau péché.* Id ergo scire Theologi avent, an ea tantum damnata sit propositio, uti est a delatoribus truncata, ac mutilata? An ut est Quesnelli libris inserta, nempe, *talis impiorum oratio (iniquo scilicet, maligno, arroganti, ingrato, fallaci animo facta) est novum peccatum; Et quod Deus illis concedit, est novum in eos iudicium?* Quod quidem ultimum a Clemente fuisse damnatum, nemo sibi in animum inducet: cum fidei dogma sit, impio-
rum

rum orationem, impio, maligno, arroganti, ingrato, fallaci animo supplicantium, illicitaque salutique contraria petentium, novum esse peccatum. Psalm. 108. *Oratio eius fiat in peccatum.* Proverb. 28. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem: oratio eius erit execrabilis.* Proverb. 15. *Victimæ impiorum abominabiles Domino.* August. Enarrat. in Psalm. 108. *Oratio quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam fit ipsa in peccatum.* Planumque est, novum a Deo in impios sic orantes iudicium exerceri, dum quid malis illorum & improbis postulatis concedit, atque largitur. Quandoque Deus quod male petentibus posset non dare propitius, dat iratus. August. Tract. 73. in Joannem.

Nil tamen aliunde dubitandum, quin impii seu peccatoris oratio, quæ licita sunt & utilia saluti postulantis, humili maxime, reverenti, sincero, fidenti animo, facta, non modo peccato vacet, verum etiam bona sit, utilis, proficua, & ad conversionem & justificationem aditum paret.

Ne ergo tam diversæ conditionis & sortis orationes promiscue confundantur, neve contra præceptum Evangelicum, malum dicatur bonum, & bonum malum; declarari sibi Theologi petunt, an non de posteriori duntaxat peccatorum oratione intellecta propositio 59. proscripta sit; de priori tamen oratione accepta (quod delator occultatum voluit) censura vacet, ac prorsus relinquatur indemnis?

CAPUT V. DE TIMORE POENARUM.

§. I.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ CENSURA NOTATÆ.

Propositio 61. *Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur. Refl. moral. in Luc. C. XX. v. 19.*

Propositio 62. *Qui a malo non abstinet, nisi timore pænæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo. Matth. C. XXI. v. 46.*

OBSERVATIO.

Pares, verbis saltem & syllabis, apud priscos Ecclesiæ Patres sententiæ leguntur, quæ districtæ in binas illas assertiones censuræ interpretationem necessariam faciunt; ne eodem cum Quesnellio stigmate inusti putentur summi illi sanctioris doctrinæ Magistri.

D. August. Lib. de natura & gratia Cap. 57. *Nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi, ed in ipsa voluntate reus est, qui mallet, si fieri posset, non esse quod timet, ut libere faciat, quod occulte desiderat.*

Epist. nunc 145. olim 144. ad Anastasium: *Inimicus justitiæ est, qui pænæ timore non peccat.*

Enarrat. 25. in Psal. 118. *Vivit peccati voluntas*

luntas quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas; latenter vivit, vivit tamen.

Enarrat. 2. in Psal. 32. *Qui timendo non facit male, mallet facere, si liceret; itaque etsi facultas non datur, voluntas tenetur. Idem alibi sæpe.*

S. Prosper sententia 117. *Eam Deus innocentiam probat, qua homo non metu pænæ fit innocens, sed amore justitiæ. Nam qui timore non peccat, quamvis non noceat, cui vult nocere, sibi tamen plurimum nocet: & abstinens ab iniquo opere, sola tamen reus est voluntate.*

S. Gregorius Lib. 1. *Moralium* Cap. 26. alias 11. *Cum adhuc timore bona agit, a malo penitus non recessit: quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si inulte potuisset.*

S. Thomas 1. 2. quæst. 107. art. 10. ad 2. *Lex vetus dicitur cohibere manum, non animum: quia qui ex timore pænæ ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter eius voluntas a peccato recedit; sicut recedit voluntas eius, qui amore justitiæ abstinet a peccato.*

Summos illos sanioris doctrinæ Magistros, de timore mere naturali, atque carnali locutos interpretantur Theologi bene multi; quem scilicet serviliter servilem schola vocitat, quo nempe plus timetur pœna quam culpa: summoque studio contendunt, peccatum adhuc tunc corde committi, dum quis eo tantum timore concussus, ab externo peccati opere sibi temperat. Alii æque pii ac docti Theologi viri, de timore etiam supernaturali, qui motus

est Spiritus sancti nondum quidem inhabitantis, sed solum moventis, locutos Patres existimant, qui tamen amorem justitiæ nondum includat: strenueque contendunt, timorem illum poenæ, amore justitiæ necdum informatum, peccati quidem actum, utut maxime cohibere; profundum tamen intimumque peccati affectum, quem habitualement aut virtualement schola nuncupat, nequaquam expellere. Eoque præsertim momento nixi, piam, religiosam, melioribusque rationibus fultam sententiam amplectuntur, de timoris huius insufficientia, amorisque saltem initialis necessitate, ad justificationem, etiam in Sacramento poenitiæ obtinendam.

Ne igitur sub Quesnellii corio vapulare putentur laudati Patres, ac boni quique recentis scholæ Magistri; neve a fundamentis concussa videatur pia illa religiosaque sententia, cui nihil unquam præjudicatum voluere Romani Pontifices; explicari sibi petunt, ac suppliciter rogant, quicumque pacem amant, sanioeremque doctrinam profitentur, de quo timore, ac de quo peccato sententiam dixerit Clemens XI. Num scilicet de timore pure servili, qui Spiritus sancti excitantis tantum, nondum tamen inhabitantis est motus, aut de timore serviliter servili, qui vitiosus est atque culpabilis? An itidem de peccato actuali, aut de habituali, seu affectu peccati, qui solo poenæ timore non tollitur, iudicium fecerit?

§.

§. II.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 60. *Si solus supplicii timor animet poenitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.* Refl. moral. in Math. C. XXVII. v. 5.

OBSERVATIO.

Idem iisdem ferme verbis docere videntur Patres & sacræ Synodi. D. Gregorius Magn. Lib. 1. Moral. Cap. 36. alias 18. *Timor dum plus iuste trepidat, in desperationis foveam vergit.* D. Bernardus Epist. 87. *Est timor inutilis, tristis, crudelis, qui veniam, quia non quærit, non consequitur; cuius misera soboles est pertinacia, immoderata tristitia, rancor, horror, & desperatio.* S. Thomas 2. 2. q. 20. art. 1. ad 2. *Ex timore Dei, vel ex horrore propriorum peccatorum contingit desperatio: in quantum his bonis aliquis male utitur, occasionem inde accipiens desperandi.* Catechismus Concilii Colonienfis auctoritate publicatus anno 1536. *Impius concepto timore servili ex metu supplicii, atque ibi consistens, in desperationem adigitur; quod videre est in Juda proditore.*

Id porro de timore omnino solo ac nudo, cui non modo nulla est admixta charitas, sed nec est admixta spes veniæ, Theologi omnes intelligunt: certoque statuunt (quod vel ipsa naturalis ratio satis suadet) in desperationem

labi

labi eum, qui iustitiam Dei cum timeat unice, nullo in Deum necdum movetur amore, sed nulla quoque spe veniæ excitatur ac ducitur. Quomodo enim non desperet poenitens, qui cum summe timeat, nihil sperat?

■ Ne itaque per Quesnelli latus impetitos & Patres & Theologos universos, adhuc etiam naturæ lumen extinctum Clementino iudicio fideles existiment; ipsa rei necessitas exigit, ut quo sensu inusta sit 60. propositio palam fiat. Num scilicet de timore *solo*, ut charitatem simpliciter excludente; an de *solo*, ut etiam spem veniæ reiiciente, sit intelligenda censura.

§. III.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 63. *Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non impleat, aut impleat solo timore.* Refl. moral. ad Rom. C. VI. v. 14.

OBSERVATIO.

Ex Apostolo, eiusque fidelissimo interprete Augustino, nec non ex D. Thoma, videri poterit delibata sententia. Ad Galat. 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*, ait Apostolus: sunt ergo sub lege (colliget aliquis) qui non spiritu charitatis, sed timore ducuntur. Ad Rom. 8. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Quibus ver-

bis

bis utriusque Testamenti character datur ac nota, per timoris & amoris antithesim. August. Lib. de natura & gratia C. 57. *Sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore iustitiæ se sentit abstinere ab opere peccati . . . In quantum vero quisque spiritu ducitur, non est sub lege.* Sermone 3. de Agar. *Interrogentur Christiani, si modo nulli sunt tales, carnaliter sperantes de Domino, & propter hoc Domino servientes. Tales ad vetus Testamentum pertinent.* Lib. contra Adimantum, C. 17. *Hæc est brevissima & aper-tissima differentia duorum Testamentorum timor & amor: illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet.* Quibus paria habet Doctor Angelicus 1. 2. q. 107. art. 1. ad 2. & 3. Et in Comment. ad Cap. 13. Joan. lect. 7. *Duplex est spiritus, scilicet vetus & novus: vetus quidem est spiritus servitutis, novus autem spiritus amoris: ille generat servos, hic filios adoptionis.*

Hæc vero duplicis Testamenti distinctio, duplicisque in alterutro regnantis ac dominantis spiritus differentia, timoris videlicet & amoris, ab Apostolo, eiusque fidis interpretibus toties inculcata ac prædicata, non sic a Theologis intelligitur, quod nulla in veteri Testamento charitas esset, qua iusti illius ætatis ac sancti ducerentur, ac moverentur; nullusque vice versa in novo Testamento sit timor, quo præcepta nunc aliqua secundum substantiam saltem impleri possint, & peccata aliqua pariter devitari: sed quod charitas ita propria

no-

novi Testamenti sit nota, propriusque character, ut & baptizatus solo timore ductus, in Judaismo dicatur esse secundum spiritum, etsi non ita secundum ritus sacramentales, & statum: timorque vicissim ita veteris Testamenti nota fuerit, ut ipse etiam Circumcissus, si charitate tunc duceretur, in Christianismo censeretur esse secundum spiritum, etsi non ita perinde secundum statum, ritusque sacramentales. Quod Augustinus disertissime docet Lib. 1. de Baptis. C. 15. *Sicut in Sacramentis veteris Testamenti vivebant quidem spirituales ad novum scilicet Testamentum, quod tunc occultabatur, occulte pertinentes; sic Et nunc in Sacramento novi Testamenti, quod jam revelatum est, plerique vivunt animales: qui proficere si nolunt, ad percipienda, quæ sunt Dei, ad vetus Testamentum pertinebunt. Cui subscribit Doctor Angelicus 1. 2. q. 106. art. 1. ad 3. & q. 107. art. 1. ad 2. & 3.*

Nunc ergo, cum sit illa Patrum, Theologorumque certa & indubitata sententia, illud doceri cupiunt boni omnes, quo sensu Clemens XI. Baptizatum, Dei legem nequaquam implentem, aut solo timore implentem, in Judaismo etiamnum esse negaverit, propositionem 63. configendo? An non baptizatum illum sub Mosaica lege secundum statum duntaxat, ritusque legales versari, negaverit; secundum tamen spiritum versari sub eadem lege concesserit?

§. IV.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ
CENSURA NOTATÆ.

Propositio 64. *Sub maledicto legis nunquam fit bonum: quia peccatur, sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando. Refl. moral. ad Gal. C. V. v. 18.*

Propositio 67. *Timor servilis non sibi representat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem. Luc. C. XIX. v. 21.*

OBSERVATIO.

Corde animoque peccare hominem reipsa, dum externum peccati actum solo pœnæ timore devitat, non amore justitiæ, certo quodam sensu, eoque, ut credere par est, orthodoxo, docuit D. Augustinus Epist. olim 144. nunc 145. ad Anastasium. *Inaniter, ait ille, putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat: quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis: Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri, quod vetatur, si subtrahas, quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere, quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impune non potest fieri . . . Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, si eius amore non peccet. Tunc enim vere timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere: ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit . . . Tantum por-*

porro quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit; quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam. Quibus paria habet Enarrat. 25. in Psalm. 118. Sermone nunc 159. alias 15. de verbis Apostoli C. 6. & Serm. 179. alias 19. Cap. 8. & alibi sæpe.

Quod quidem si de novo peccato, ut putant aliqui, dixit Ss. Doctor, quod per ipsum timoris actum admitti voluerit; de timore profecto locutus est mere naturali, carnali, vitioso, atque serviliter, ut vocant Theologi, serviente, quo nempe poena ut summum malum, timetur ab homine, imo plus illa timetur, quam Dei offensa (Is etenim timor novum corde ipso animoque conceptum peccatum est, quo malum poenæ majus æstimat malo culpæ, Deumque sibi fingit injustum, crudelem, intractabilem, peccatum durius quam par est punientem) non autem de timore mere servili locutus est Ss. Doctor, qui Spiritus sancti motus est, nondum quidem inhabitantis, sed moventis: qui tametsi profundum intimumque peccati affectum, se solo, ac sine amore justitiæ non sanet, bonus tamen est, utilis; non vitiosus, nec de Deo sic impie sentit ut alter; possumusque per illum vitare aliquando peccatum, præceptumque implere, saltem secundum substantiam, etsi non ita secundum modum.

Ut ergo suus Augustianæ doctrinæ (quam cæteri Patres Gregorius Magnus, Petrus Chry-

Chrysologus, Leo Magnus, Isidorus Hispalensis, Bernardus, & D. Thomas amplexi sunt) fervetur honos; latæ in binas illas assertiones Pontificiæ censuræ intelligentia suppliciter petitur; de quo nimirum timore sententiam tulerit Clemens, quove timore peccatum seu vitari, seu sanari delerique, definierit?

§. V.

QUESNELLIANA PROPOSITIO CENSUA NOTATA.

Propositio 66. *Qui vult Deo appropinquare, non debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicut bestia, sed per fidem & amorem sicut filii.* Resl. moral. in E. ad Hebr. C. XII. v. 20.

OBSERVATIO.

Stultum profecto, ac etiam impium fuerit existimare, propositionem hanc secundum se totam, ac juxta integrum significatum fuisse a Clemente damnatam. Sic enim illius contradictoriam, ex Dialecticæ lege, statuisset, atque definivisset: nempe: *Qui vult Deo appropinquare debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus: debet adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicut bestia; non per fidem, & amorem sicut filii:* quod quid horrendum magis, atque blasphemum? Reliquum igitur est, ut oblique duntaxat, & secundum aliquam sui partem proscripta sit propositio. Nempe vel quod postrema

strema sui parte timorem gehennæ opponat fidei (ibi *non per timorem, sed per fidem*) eumque bestiarum proprium dicat (ibi *per timorem sicut bestiarum*) vel quod ita fide & dilectione appropinquandum Deo dicat propositio, ut de timore nihil dicat: (ibi *ad Deum debet adduci per fidem & amorem*) vel quod primum ad Deum accessum in amore ponere propositio videatur, quo potius amore intime possidetur Deus. Verum & hæc tria erroneum perinde, vel orthodoxum sensum habere possunt; secundum quos a Clemente vel damnata, vel indemnata censerī possunt.

Ac primum quidem, si de timore mere servilli sit dictum, quem Quesnellius opposuerit fidei; erroneum est, atque ita a Clemente iuste damnatum. Is enim timor fidei non opponitur, sed eam potius importat, atque supponit; juxta celebratum Augustini dictum *serm. nunc 179. alias 19. de verbis Apostoli Cap. 8. Si timore gehennæ non facis malum, est quidem in te fides, qua credis futurum Dei esse iudicium: gaudeo fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ tuæ.* Neque belluarum est proprius timor ille; cum motus sit Spiritus sancti nondum quidem inhabitantis, sed tamen moventis: Primusque insuper aditus est, quo ad Deum acceditur: cum prima sit ad justificationem dispositio, ex Concilii Tridentini definitione. Verum si de timore naturali, carnali, vitioso, serviliterque servilli Quesnellius dixit; orthodoxa assertio est,

est, belluarum scilicet esse proprium timorem huiusmodi, fideique oppositum.

Secundum, si tacito timore, Deo fide & dilectione appropinquandum Quesnellius dixit, propterea quod timorem velit exclusum, erroneum est; cum ex fide nascatur & profluat timor. Verum si timorem duntaxat tacet, quod aliunde subintelligatur inclusus; germana facris litteris, germana Patribus, atque Conciliis loquendi formula est: ubi tam multa de fide & charitate, tanquam ad justificationem necessariis referuntur, timore tacito, ac ne quidem ex nomine appellato, & indicato. 1. ad Corinth. 13. ad Galat. 3. & 4. ad Hebr. 11.

Postremum si de charitate habituali, ut vocant, dominante atque perfecta Quesnellius dixit, per quam hominem Deo appropinquare voluerit; falsum est, ac etiam erroneum. *Qui enim manet in charitate (utique habituali) in Deo manet.* 1. Joan. 4. Cap. atque ita primo per huiusmodi charitatem non appropinquat Deo, per quam potius in eo intime manet. Si vero de dilectione actuali remissa Quesnellius dixit, quæ prima veri dilectio est, bonaque voluntas ab Augustino sæpius vocitatur, indubitata veritas est, quam a Clemente nemo dixerit improbatam.

Quantis igitur involventur ambagibus Theologi, ne quid in ea Quesnelliana propositione damnari debeant quid excipere, certo noverint? Nisi distincta declaratione inno-

tuerit, quam in ea propositione partem damnaverit Clemens, quam absolverit; imo & quo partem illam sensu confixerit, quove sensu indemnem reliquerit?



CAPUT VI. DE DISCRIMINE ANTIQUI ET NOVI FOEDERIS.



§. I.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ CENSURA NOTATÆ.

Propositio 6. Discrimen inter fœdus Judæicum & Christianum est, quod in illo Deus exigit. Fugam peccatorum, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando. Refl. moral. in E. ad Rom. C. XI. v. 27.

Propositio 7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit eius propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ vero felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis. Ad Hebr. C. VIII. v. 7.

OBSERVATIO.

Legem veterem se ipsa quidem spectatam, ac secundum spiritum illius proprium, ac veluti Characteristicum: Neminem justificasse,
nihil

nihil ad perfectum adduxisse, motis ac damnationis ministrationem fuisse, occidisse, iram esse operatam, virtutem fuisse peccati; ac demum propter infirmitatem, & inutilitatem a Deo reprobata esse, conceptissimis verbis affirmat Apostolus ad Galat. 3. & 5. ad Hebræos 8. 2. ad Corinth. 3. & 15. ad Rom. 4. & 8.

Judæos etiam in sua infirmitate relictos (quod binæ propositiones habent) implendæ legis impotentia laborasse, ut novi fœderis spiritum quærerent, disertæ D. Augustini, ac D. Thomæ ut de cæteris Patribus taceam, sententia est.

Augustinus Epist. nunc 145. alias 144. ad Anastasium: *Lex docendo & jubendo, quod sine gratia impleri non potest, homini demonstrat suam infirmitatem; ut quærat demonstrata infirmitas Salvatorem, a quo sanata voluntas possit, quod infirma non possit.*

Lib. de gratia Christi Cap. 8. *Jubet lex magis quam juvat; docet, morbum esse, non sanat; imo ab ea potius quod non sanatur, augetur; ut attentius & sollicitius gratiæ medicina quærat. Quia littera occidit, spiritus autem vivificat.*

In actis cum Felice Manichæo Lib. 2. Cap. 11. *Data est lex superbis hominibus, & viribus suis totum tribuentibus; ut cum implere non possent legem datam, prævaricatores invenirentur; & facti rei sub lege, peterent misericordiam a legis conditore.*

Lib. 1. ad Simplicianum quæst. 1. *Lex auget concupiscentiam ex prohibitionem, & reum ob-*

ligat ex prævaricatione, jubendo quod implere homines, ex infirmitate non possunt, nisi se ad Dei gratiam pietate convertant.

D. Thomas 1. 2. q. 106. art. 3. Oportuit, quod homo sibi relinqueretur in statu veteris legis: ut in peccatum cadendo, suam infirmitatem cognoscens recognosceret se gratia indigere. Et q. 98. art. 6. Postquam homo instructus est per legem, convicta est eius superbia de infirmitate, dum implere non poterat, quod cognoscebat. Et ideo sicut Apostolus concludit; quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, misit Deus Filium suum, ut justificatio legis impleretur a nobis.

Quæ cum ita sint, declarari sibi postulant boni omnes, num Clemens XI. binæ huius Quesnellianæ propositionis damnatione, notatum ibi utriusque Testamenti discrimen improbaverit, sola temporis ratione habita, non attento utriusque Testamenti spiritu atque virtute? Hoc est, num forte negaverit unice, Judæos universos, toto tempore veteris Testamenti in propria infirmitate & impotentia legis implendæ fuisse relictos; seu toto illo tempore divina gratia fuisse destitutos, legisque implendæ impotentia laborasse universos? An illud negaverit insuper, Judæos, se ipsis, & ex conditione solius Mosaicæ legis, infirmos & impotentes ad bonum, divinam gratiam, legisque implendæ potestatem, virtute & efficacia ipsius antiqui foederis non habuisse, sed solum per spiritum novi; ad quod per fidem (quam
in

in Christum venturum habebant quotquot spirituales erant) procul dubio pertinebant?

§. II.

PROPOSITIO QUESNELLII CENSURA NOTATA.

Propositio 65. *Moyfes, Prophetæ, Sacerdotes veteris Testamenti mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium; cum non effecerint nisi mancipia per timorem.* Refl. moral. in Marc. C. XII. v. 19.

OBSERVATIO.

Moyfes, Prophetæ, Sacerdotes, legisque **IV** Doctores, non modo veteris Testamenti Ministri erant, verum etiam & novi: utpote Christi quoque prænuncii, fideique in illum habendæ prædicatores: quo titulo non Mosaicum tantum atque Leviticum munus obibant, sed etiam Evangelicum. Porro sicuti vetus Testamentum in servitutem generans, ut ait Apostolus ad Galat. 4. filios sua ipsius virtute Deo non peperit; sed accedente duntaxat spiritu novi, fideque in Christum venturum: ita Moyfes, Prophetæ, Sacerdotes, Doctoresque, uti veteris Testamenti Ministri, filios Deo non genuere, sed uti Novi; quatenus fidem in Christum Dominum prædicabant, eiusque spiritum advocabant.

Sacrum illud Apostolicæ doctrinæ arcenum, ad quod tota ferme collineat Epistola eius ad Galatas, paucis aperuit Augustinus

Tract. 3. in Evang. Joan. *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Per servum lex data est, reos fecit: per Imperatorem indulgentia data est, reos liberavit. Non sibi aliquid amplius servus assignet, quam quod per illum factum est. Electus ad magnum ministerium tamquam fidelis in domo, sed tamen servus, agere secundum legem potest, solvere a reatu legis non potest. Quibus aperte declarat Ss. Doctor, Moysem uti veteris Legis Latorem, amplius nihil arrogare sibi posse, quam quod fecerit reos; non item quod a reatu legis homines solverit: quod fecisset utique, si Deo filios dedisset, ac genuisset. Unde Lib. 22. contra Faustum Manich. Cap. 69. ait: *Moysem fuisse ministrum Sacramentorum non jam præstantium salutem, sed adhuc promittentium Salvatorem.**

Hoc igitur arcanum sibi retegere Theologi postulant: num Clemens propositionem 65. Censura configens, de Moyse, Prophetis, Sacerdotibus, legisque Doctoribus iudicium fecerit, ut erant etiam Christi prænuntii, ministeriumque velut Evangelicum exercebant? (quo quidem titulo & officio, Deo quoque filios, per fidem in Christum quem prænuntiabant, genuere) an ut erant simpliciter Testamenti veteris administri; ministeriumque pure Mosaicum & Leviticum exercebant? Quo certe titulo servos Deo dedere, non filios.

§. III.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 8. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi quatenus participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis, id quod Deus nobis præcipit.* Refl. moral. Ep. ad Hebr. C. VIII. v. 10.

OBSERVATIO.

Eundem hæc propositio sensum edit, ac præcedentes; eodemque idcirco lata in eam censura laborat æquivoco; quod nisi opportuna explicatione tollatur, omni doctrinæ vento circumferemur, latumque iudicium in ipsa fidei dogmata detorquebimus.

Huius quippe propositionis pars altera, quæ gratiam bonorum operum effectricem, novi fœderis propriam dicit, si de tempore ipso novi fœderis intelligatur; quasi nulla huiusmodi gratia, toto antiqui fœderis tempore, data fuerit; hæretica est, omniumque divinarum Scripturarum fidem evertit: quibus profecto liquet, permultos ea ætate viros sanctissimos floruisse, gratia illa bonorum operum effectrice donatos & cumulos. Si vero de spiritu novi fœderis accipiatur, quod videlicet gratia illa bonorum in nobis operum effectrix, nonnisi ex spiritu novi fœderis concedatur, quandocunque confertur; revelata sacris in literis veritas est, quibus liquet, eum proprium esse novi fœderis spiritum a Deo per Jeremiam

promissum Cap. 31. *Hoc est pactum, quod feriam cum domo, Israel post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam illam.*

Non absimiliter propositionis huius pars prior, quæ neminem ad novum foedus pertinere dicit, nisi gratiæ bonorum operum effectricis particeps fuerit, si de foedere novo secundum litteram tantum ritusque externos accipiatur, hæretica est. Per Baptismum enim ad novum foedus eo sensu pertinemus, sumusque absolute loquendo Christiani. At vero si de novo foedere secundum litteram simul & spiritum accipiatur propositio; catholica veritas est, iactis antea fundamentis atque principiis nixa. Quæ omnia aperte distinguere optant Theologi quique pacis amantes, ut omne erandi periculum submoveatur.

CAPUT VII. DE ECCLESIA, ET JURAMENTIS IN EA FIERI SOLITIS.

§. I.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ CENSURA NOTATÆ.

Propositio 72. *Nota Ecclesiæ christianæ est, quod sit catholica, comprehendens & omnes Angelos cæli, & omnes electos, & omnes justos terræ,*

&

& omnium sæculorum. Resl. moral. Ep. ad Hebr. C. XII. v. 22. 23. 24.

Propositio 73. *Quid est Ecclesia, nisi cætus fidelium Dei, manentium in eius sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in eius spiritu, agentium per eius gratiam, & expectantium gratiam futuri sæculi.* 2. ad Thess. C. I. v. 1. 2.

Propositio 75. *Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est Caput, vita, subsistentia, & persona: unus Jesus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator.* Ad Eph. C. II. v. 14. 15. 16.

Propositio 76. *Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes electi & iusti omnium sæculorum illam componunt.* Ad Eph. C. II. v. 20. 21. 22.

OBSERVATIO.

Ecclésiæ definitionem quatuor illis propositionibus datam, qua scilicet, tacitis peccatoribus, ex iustis conflata dicitur; homoque unus, una persona (Caput & membra, Christus nimirum & iusti) nuncupatur, iisdem plane verbis dedere D. Augustinus, & D. Gregorius Magnus: prior quidem Lib. 7. de Baptismo contra Donatistas Cap. 51. *Ecclesia in bonis fidelibus est, & sanctis Dei servis, ubique dispersis, & spiritali unitate devinctis, in eadem communione Sanctorum.* Et Enarrat. in Psalmo 35. *Quomodo (Ecclesia) non est unus homo, qui unum habet caput? Caput omnium nostrum Christus est, corpus illius capitis omnes sumus.* Alter vero Lib.

Lib. 23. Moraliū Cap. 1. *Redemptor noster unam se personam cum sancta Ecclesia, quam assumpsit, exhibuit. Et Homil. 19. in Evang. Christus habet vineam, universalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel iusto usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit.*

Num forte Patres illi cum Quesnellio damnati? Absit. Quia Ecclesiam illi definivere, non ut externa quædam visibilisque societas est, quo titulo insignes etiam complectitur peccatores, ac reprobos; sed ut simpliciter societas est, divino intus spiritu ducta & animata: seu, ut interpretantur aliqui, Ecclesiæ animam spiritumque definivere Patres illi, non corpus: ut si quis hominem simpliciter diceret, *substantiam rationalem.*

An Ecclesiam eo sensu acceptam Quesnellius citatis locis definiverit, qui alibi sæpius bonos simul & malos, iustos, atque iniustos, electos & reprobos in Ecclesiæ corpore comprehendi docet, viderit ipse: facti quæstio illa est, quæ nos hic parum sollicitos habet. At illud Theologorum interest scire, qualem Ecclesiam Clemens intenderit animo: quove sensu propositiones illas Quesnellianas acceperit, dum in eas censuram distinxit. Numve Ecclesiam definire aliquando liceat, ut eam Augustinus & Gregorius definivere?

§.

§. II.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ
CENSURA NOTATÆ.

Propositio 74. *Ecclesia sive integer Christus Incarnatum verbum habet, ut caput, omnes vero Sanctos ut membra. Refl. moral. in E. 1. ad Tim. C. III. v. 16.*

Propositio 77. *Qui non ducit vitam dignam filio Dei, & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro Capite. 1. Joan. C. II. v. 22.*

OBSERVATIO.

In id propositionum illarum summa redit, quod iusti soli, iusteque viventes, *Christi & Ecclesiæ membra* dicantur. Quocirca tametsi in id consentiant Theologi Catholici omnes, iniustos etiam & peccatores in Ecclesia esse, ac de Ecclesia, non ideo tamen consentiunt universi, in Ecclesia illos esse, ac de Ecclesia, tanquam membra illius vera, & simpliciter dicta; sed uti partes duntaxat excrementitias, imo velut humores peccantes Mystici Corporis Christi, illos esse plerique contendunt. Audiendus ea de re Card. Bellarminus Lib. 3. de Ecclesia militante Cap. 9. *A multis concedi solet, malos non esse membra vera, nec simpliciter corporis Ecclesiæ: sed tantum secundum quid, & æquivoce. Ita Joannes de Turrecremata Lib. 1. Cap. 57. ubi id probat ex Alexandro de Ales, ex Hugone, & B. Thoma. Idem etiam docent Petrus a Soto, Melchior Canus, & alii; qui tametsi dicant, malos*

malos non esse membra vera, dicunt nihilominus vere esse in Ecclesia, sive in corpore Ecclesiae, & esse simpliciter fideles, seu Christianos. Neque enim sola sunt membra in corpore humano, sed etiam humores, dentes, pili, & alia quae non sunt membra. In qua profecto sententia versatus est D. Augustinus Lib. 2. contra Cresconium Cap. 21. scribens: *Damnati a Christo, jam in Corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia: quoniam non potest Christus habere membra damnata.* Et Tract. 3. in Epist. Joan. de malis loquens, *sic sunt in Corpore Christi, quomodo humores mali.*

Ad pacem igitur scholarum catholicarum permagni interest, ut declaretur aliquando; an eam celeberrimorum Theologorum sententiam, in Quesnellio damnatam voluerit Clemens XI.? An autem binas illas propositiones duntaxat confixerit, quod oblique saltem videantur innuere, peccatores nulla ratione ad Corpus Christi mysticum pertinere; nulloque illos titulo Christum ut caput, Deum ut Patrem agnoscere?

§. III.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 78. *Separatur quis a populo electo, (cuius figura fuit populus Judaicus, & Caput est Christus) tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.* Refl. moral. Act. Ap. C. III. v. 23.

OB-

OBSERVATIO.

Geminam ab Ecclesia separationem distinxit saepe numero Divus Augustinus: manifestam unam, aperto schismate factam, fideique negatione; qua quis ab externa fidelium societate, Sacramentorumque communione divellitur: secretiorem alteram, improbis moribus ac Evangelio dissonis factam; qua quis ab interno Ecclesiae spiritu, animaque vivificante (quibus proprie electus populus constituitur) separatur. Interiorem separationem facere plurimos, externa minime facta, idem ille constantissime docet Lib. de unitate Ecclesiae Cap. 25. *Multi tales sunt in Ecclesiae communione cum Ecclesia, & tamen jam non sunt in Ecclesia; per interiorem spiritus communionem.* Lib. 1. de Baptismo Cap. 10. *Non hi soli ad Ecclesiam non pertinent, qui separationis aperto sacrilegio manifesti sunt, sed etiam illi, qui in eius unitate corporaliter mixti, per vitam pessimam separantur.*

Hac duplicis separationis distinctione posita, haud ita facile intelligitur, quid dogmatis in ea Quesnelliana propositione damnaverit Clemens XI.; cum vel sic exploratissimum sit, hominem tam non vivendo secundum Evangelium, ab interno Ecclesiae spiritu, animaque vivificante interius separari; quam non credendo Evangelio ab extrema fidelium societate separatur; seu quod in idem simplicioribus verbis omnino redit: amitti persaepe ab homi-

ne

ne charitatem, dum fides nequaquam amittitur. Quare & hoc sibi referari arcanum simpliciter petunt Theologi bonæ pacis amantes; quid dogmatis in ea propositione damnatum fit? An autem ob id unum ferulam meruerit auctor, quod nulla internæ separationis, de qua loqueretur, explicatione data, in suspicionem facile venerit; quod improbos omnes a mystico Christi Corpore, seu ab Ecclesia se junctos existimaverit, ex quo mores suos secundum Evangelium non componunt, ut pie religioseque vivant?

§. IV.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.* Refl. moral. Luc. C. X. v. 35. 36.

OBSERVATIO.

Universim accepta propositio, de quacunque gratia, etiam actuali, excitante atque movente, erronea est. Liquet enim homines bene multos extra Ecclesiam positos, gratiis interdum actualibus, excitantibus a Deo moveri, ut ad Ecclesiam veniant, & fidem catholicam amplectantur. De gratia nihilominus habituali, quæ salutem operetur & vitam, accepta propositio fidei dogma est; quo credimus, extra Ecclesiam salutem & vitam æternam obtineri non posse. Verum a delatoribus mutilata est, & a suis adjunctis avulsa propositio,

fitio, quæ auctorem de gratia salutem & vitam operante locutum ostendant. *Ecclesia*, ait ille, *est domus salutis; extra illam nulla est gratia, salvatio nulla, vita nulla.* Quapropter illud Theologi scire cupiunt, sitne ad mentem auctoris damnata propositio, ut extra Ecclesiam dari quoque gratias salutis operatrices agnoscere debeant (quod nemo facile sibi persuaserit) an potius juxta sensum illi a delatoribus & truncatoribus afflictum, quodcunque gratiæ genus extra Ecclesiam positus abnegantem, proscripserit?

§. V.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 101. *Nihil spiritui Dei & doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia: quia hoc est multiplicare occasiones peierandi, laqueos tendere infirmis & idiotis, & efficere, ut nomen & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.* Refl. moral. Matth. C. V. v. 37.

OBSERVATIO.

Quidquid continet dogmatis propositio illa, fidei nostræ caput est, sacris in litteris revelatum. Non debere juramenta in Ecclesia, ac etiam in sæculo communiter frequentari, ob illas ipsas rationes, quæ in propositione insinuantur, certa Patrum Theologorumque sententia est. *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim*

enim casus in illa, inquit Sapiens Eccles. 23. Et Christus ipse. Matth. 5. Ego autem dico vobis; non jurare omnino. Quod utique ob periculum peierandi dictum est, & ad coercendam juramenti frequentiam, ut exponit Aug. L. de Mandacio. C. 15. Juravit ipse Apostolus in epistolis suis; & sic ostendit, quomodo accipiendum esset, quod dictum est, dico vobis non jurare omnino: ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur, ex facilitate, ad consuetudinem, atque ita ex consuetudine in perjurium decidatur. Et Lib. 1. de Sermone Domini in monte Cap. 17. Ita Dominus intelligitur præcepisse, ne juretur, ne quisquam sicut bonum appetat juramentum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur. Quod idem affirmat Doctor Angelicus Lectio 5. in Caput 1. Epistolæ ad Romanos; & 2. 2. q. 89. art. 2.

Non ob aliud ergo damnata videtur propositio, quam ob sinistram proferentis intentionem, qui de juramentis in formularii subscriptione dari solitis, ista dixisse creditus est. Atque ita eius in ore reputata est male sonans, atque suspecta. Quod quidem in præsentia videtur esse declarandum, ne Sapientis & Christi Domini sententia damnata putetur, ac non solus eiusdem abusus; cuius nullum in recitata propositione apertum est signum.



CAPUT VIII. DE LEGIBUS ET CENSURIS.



§. I.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 71. *Homo ad sui conservationem potest se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter eius utilitatem. Refl. moral. Matth. C. II. v. 28.*

OBSERVATIO.

Ex prima sui divisione gemina est, naturalis & positiva. Et ab illa quidem neminem posse semetipsum dispensare perspectum est: ab ista vero, etiamsi divina sit, atque a Deo condita, modo extrema servandæ vitæ necessitas urgeat, posse se aliquando hominem dispensare, sanctissimorum virorum patet exemplis, ab ipso Christo Domino comprobatis, eiusque disertæ sententiæ confirmatis. David enim Rex sanctissimus, dum fame premeretur, panes propositionis manducavit, suisque dedit manducandos, quos per legem divinam non licebat, nisi Sacerdotibus manducare: Lib. 1. Regum Cap. 21. Et Apostoli fame pressi, spicas Sabbatho evulserunt, & confricarunt, quod divina Sabbathi lege vetabatur. Qua de re cum Pharisei obmurmurent, factum Christus Dominus excusavit, licitumque defendit, Marci 2. *Factum est autem cum Dominus Sabbathis*

ambulare per sata, & discipuli eius cœperunt progredi, & vellere spicas. Pharisei autem dicebant ei: ecce quid faciunt Sabbathis, quod non licet? Et ait illis, numquid legistis, quid fecerit David, quando necessitatem habuit, & esurivit ipse, & qui cum eo erant? Quomodo introivit in domum Dei, sub Abiathar principe Sacerdotum, & panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi Sacerdotibus, & dedit eis qui cum eo erant? Et dicebat eis, Sabbathum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbathum. Itaque Dominus est Filius hominis etiam Sabbathi.

Quæ cum ita sint, difficile captu est, quid in ea propositione 71. Censura notatum sit: maxime cum eam Auctor, hoc ipsum Christi oraculum commentando, protulerit: debitisque circumscriptionibus temperaverit; ut non de lege naturali, sed positiva; deque solo conservandæ vitæ casu, se loqui significaret. Ad fidelium igitur institutionem maxime refert, quid Clemens in ea propositione distincte damnaverit, aperire. Num forte ad cautelam damnata est propositio: quod a suis avulsa sedibus, de quacunque lege tam naturali, quam positiva; ac de quavis sui ipsius conservatione, etiam extra periculum urgens, possit intelligi?

§. II.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 90. *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exercent per primos Pastores,*

flores, de consensu saltem præsumpto totius corporis. Refl. moral. Matth. C. XVIII. v. 17.

OBSERVATIO.

Binas habet partes propositio 90. variis sensibus perinde obnoxias quos distingui & explicari necesse est, ut recta latæ censuræ habeatur intelligentia.

Pars prior Ecclesiam ait, habere excommunicandi auctoritatem, ut eam per primos Pastores exercent. Quod utique vel eo sensu ab Auctore dictum est, quod Ecclesia a Christo Domino excommunicandi auctoritatem acceperit sola, in unius Petri persona; quasi eam perinde a Christo, in cæterorum Apostolorum persona, primi Pastores, hoc est Episcopi non acceperint; sed ab Ecclesia ipsa acceptam retulerint: quod plerique Episcopali auctoritati injurium arbitrantur; qui Episcopos, utpote Successores Apostolorum, auctoritatem a Deo immediate tenere volunt, non ab Ecclesia: Aëtorum 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Vel eo sensu ab Auctore est dictum, quod Ecclesia huiusmodi auctoritatem acceperit a Christo, quatenus eam in primis Pastoribus suis accepit: cum primi Pastores, hoc est, Episcopi Ecclesiam universam repræsentent; immo ipsamet Ecclesia sint docens, pascens, ac regens. Quæ Divi Augustini sententia creditur esse

charitatem affici sumus. Refl. moral. Joan. C. IX. v. 22. 23.

OBSERVATIO.

Variis pariter sensibus subsunt geminæ partes propositionis huiusce, qui peculiarrem explicationem necessariam faciunt; ne lata in eam Censura ad animarum perniciem turpius abutantur, qui quolibet in scirpo nodum quæerunt, ut illudant & cavillentur.

Prima itaque propositionis pars, si de excommunicatione injusta, cuius tamen aut occulta, aut dubia tantum nullitas sit, intelligatur; uti etiam si de debito tantum juris positivi accipiatur; citra dubium falsa est, temeraria, scandalosa, Ecclesiasticam disciplinam evertens. Qui enim excommunicatur injuste, ita tamen ut occulta omnino sit excommunicationis nullitas, pro excommunicato se gerere debet; teneturque a muneribus & officiis juris duntaxat Ecclesiastici abstinere, E. G. Sacerdos a celebratione Missarum. Verum si de excommunicatione evidenter & notorie nulla, injustaque sermo fiat, nec non etiam de debito stricti juris, divini vel naturalis, certa & indubitata veritas est, sacris Canonibus consentanea. Can. *Cui est illata.* Causa II. quæst. 3. *Si injusta sententia est, tanto eam curare non debet, quanto apud eum & Ecclesiam eius, neminem potest injusta gravare sententia.* Ita ergo ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus respicit obligatum. Quod est

est Gelasii I. decretum. Et Can. illud plane, eadem causa & quæstione: *Illud plane non temere dixerim, quod si quisquam fidelium fuerit anathematizatus injuste, ei potius oberit, qui faciet, quam qui eam patietur injuriam.* Quare quod vulgo ex D. Gregorio Magn. hom. 6. in Evangelia solet obijci, *Pastoris sententiam, licet injustam, semper esse timendam:* de sententia, cuius aperta non est injustitia, accipiendum est; non de ea, cuius notoria est nullitas & injustitia. Aut etiam, ut exponit Joannes Gersonius, *timenda quidem est injusta sententia, non tamen tenenda.* Timenda inquam, ad reverentiam auctoritatis, ne forte justa sit, quæ putatur injusta; non tenenda tamen, si evidenter injusta est.

Altera propositionis pars, si de externa conversatione intelligatur, adeo ut injuste, ab habente tamen auctoritatem excommunicatus, non debeat in foro externo se gerere, tanquam ab Ecclesia exclusum; falsa omnino est, & contra Canones. Ad scandalum siquidem vitandum, pro excommunicato se gerere debet. Si vero de interna secretaque animi affectione, seu de foro duntaxat interno sit sermo; verissima assertio est (non esse scilicet illum ab Ecclesia exclusum) ac D. Augustino maxime consentanea, Lib. I. contra Donatistas Cap. 17. *Spirituales homines, sive ad hoc ipsum pio studio proficientes, non eunt foras: quia cum aliqua vel perturbatione, vel necessitate hominum videntur expelli (ab Ecclesia) ibi magis probantur, quam si*



intus permancant, cum adversus Ecclesiam nullatenus eriguntur, sed in solida unitatis petra, fortissimo charitatis robore radican- tur. Quibus paria habent S. Hieronymus in Cap. 16. Matth. & S. Gregorius M. hom. 26. in Evangelia.

Hoc igitur referari sibi arcanum postulant Theologi, legumque periti: de qua excommunicatione, & de quo foro iudicium fecerit Clemens XI. propositionem hanc configendo; ut latam ab eo sententiam veterum Patrum dictis, ac priscis Ecclesiae Canonibus congruentem agnoscant, & contra ineptas quorundam cavillationes, multo certius tueantur.

§. IV.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.


Propositio 93. *Iesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato. Iesus restituit, quod illi inconsiderato zelo rescindunt.* Refl. moral. Joan. C. XVIII. v. 11.

OBSERVATIO.

Eadem hæc propositio oberrat corda, eodemque laborat æquivoco ac superior: parique egere videtur explicatione; ne lata in illam Censura pariter abutantur, qui tenebris & æquivocis delectantur, ut fidentius calumnientur. Si enim de externo curando vulnere, per injustam excommunicationem illato, seu de externa ex Ecclesiae corpore abscissione resti-



stituenda sit sermo; quasi illati vulneris curationem in externo foro sibi procurare non debeat excommunicatus injuste; falsa est, & contra Canones propositio. Tunc enim (nisi sit excommunicationis patentissima nullitas) debet ad cautelam saltem absolutionem postulare. At si de sanitate interius a Christo Domino animæ data, & quoad forum interius, sermo fiat; Augustini certa mens est Lib. de vera Religione Cap. 6. *Sæpe etiam finit divina providentia, per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de congregatione christiana, etiam bonos viros . . . hos coronat in occulto pater, in occulto videns.* Et in fragmento Epistolæ ad Auxilium nunc 250. *Illud plane non temere dixerim, si quisquam fidelium fuerit anathematizatus injuste, ei potius oberit, qui faciet, quam qui hanc patietur injuriam. Spiritus enim sanctus habitans in Sanctis, per quem quisque ligatur aut solvitur, indebitam nulli penam ingerit. Per eum quippe infunditur charitas in cordibus nostris, quæ non agit perperam.* Quæ Augustini verba in Ecclesiae Canonem transierunt. Can. illud causa 11. quæst. 3. Quam itaque san- titatem a Christo restitui negaverit Clemens XI. eam propositionem configendo, declarari sibi Theologi vehementer exoptant.



§. V.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.


Propositio 92. *Pati potius in pace excommunicationem & anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari S. Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.* Refl. moral. ad Rom. C. IX. v. 3.

OBSERVATIO.

Non absimili laborat æquivoco propositio 92. quod pariter expedire necesse est, ne lites serantur in longum, Clementinæ damnationis obtentu. Si enim de quietâ & pacifica tolerantia cuiuscunque excommunicationis injustæ accipiatur propositio, etiam dum eiusdem nullitas & injustitia probari juridice potest; falsa est & Canonibus adversa. Tunc enim excommunicatus injuste patienter tolerare non debet, sed illatam sibi injuriam iudicio persequi, si ei detur appellandi locus. At si eo tantum in casu intelligatur propositio, quo excommunicationis nullitas & injustitia in foro externo probari non potest, aut non datur appellationi locus; vera est, ac per se nota propositio. Quid enim tunc agendum viro probo & innocenti, injuste tamen excommunicato? An forte prodenda veritas? Absit. Imo debet potius excommunicationis sententiam sustinere, ut habet caput *Inquisitioni*, extra de sententia excommunicationis; docetque D. Thom. in 4. sent.

sent. dist. 27. q. 1. art. 2. quæstioncula 4. ad 3.

De quo itaque casu Clemens sententiam dixerit, dum propositionem illam Censura confixit, edoceri cupiunt Theologi, legumque periti.

CAPUT IX.
DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

§. I.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ
CENSURA NOTATÆ.

Propositio 26. *Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem.* Refl. moral. Luc. C. VIII. v. 48.

Propositio 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.* 2. Petri. C. I. v. 3.

Propositio 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.* Matth. C. XI. v. 25.

OBSERVATIO.

Sunt pares loquendi formulæ sanctis Patribus, ac maxime D. Augustino familiares. S. Augustinus Lib. de Prædest. SS. Cap. 7. *Fides prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur.* Tract. 3. in Joannem: *Quam gratiam primo accepimus fidem . . . Hanc ergo accepit gratiam primam peccator, ut eius peccata dimitterentur.* Epist. 105. *Ex fide omnis justitia*

stitia sumit initium. Inde incipiunt bona quæcunque sunt materia. Lib. de gratia. & Lib. arbitri. Cap. 14. *Spiritus gratiæ facit, ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut possimus facere quod jubemur.* Quod idem verbis amplissimis cæteri Patres affirmant, Clemens Alex. Lib. 2. Stromatum, Origenes in Cap. 4. Epist. ad Romanos. S. Hieronymus in Cap. 3. Epist. ad Ephesios, S. Fulgentius Lib. 1. de veritate prædest. & gratiæ Cap. 17. Bonifacius II. Epist. ad Cæsarium, Gregorius M. Lib. 2. moralium Cap. 46. D. Thom. 1. 2. quæst. 113. art. 4. *primam conversionem in Deum per fidem fieri, disertissime docens.* Quibus omnibus nixa Synodus Tridentina sess. 6. de Justif. Cap. 8. definivit: *fidem esse humanæ salutis initium, fundamentum & radicem omnis justificationis: atque adeo primam esse gratiam: cum justificationis exordium in adultis a Deo per Christum Jesum præveniente gratia esse sumendum, decernat ibidem Cap. 5.*

An non ergo verendum, ne Patrum traditionem, ipsiusque Tridentinæ Synodi definitionem in Quesnellio damnatam deblaterent heterodoxi; nisi aperto aliquo documento planum fiat, easdem loquendi formulas non eundem semper apud omnes sensum habere? Ac Patres quidem & sacram Synodum de habituali gratia, qua Deo salutis auctori primo jungimur, dixisse ac statuisse, quæ citra dubium fides est; Clementem vero tres illas propositiones configentem, de gratia actuali,

quæ

quæ simplicis excitationis, motionis, & præparatoriæ illustrationis est, pronunciasse: quia ante fidem peccatorumque remissionem, gratiæ huiusmodi multæ donantur a Deo, aut certe donari ab eo possunt; quibus & ad fidem infidelis, & ad poenitentiam peccator excitatur, movetur, disponitur, præparatur.

§. II.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 69. *Fides, usus, augmentum, & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.* Refl. moral. Marc. C. IX. v. 22.

OBSERVATIO.

Omnia bona nostra, merita nostra, ipsaque vita æterna, nostris licet meritis ad instar coronæ reddita, puræ liberalitatis Dei dona dicuntur ab Augustino, cæterisque Patribus, Ecclesia probante, confirmante, ac definiente. Augustinus Epist. ad Sixtum olim 105. nunc 194. *Cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia, & cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet nisi merita sua, ipsa vita æterna, quæ utique meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis datur. Nec ideo quia non meritis datur, sed quia data sunt merita, quibus datur.* Quibus paria habet epist. olim

106.

106. nunc 186. Lib. de Gestis Pelagii Cap. 36. Lib. de natura & gratia Cap. 6. Lib. de dono perseverantiæ Cap. 6. Lib. de Prædest. SS. Cap. 3. Lib. 2. ad Bonifacium Cap. 8.

Capitula Cælestini R. P. Epistolæ adnexa num. 12. *Tanta est erga homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus.* Ac demum Concilium Tridentinum sess. 6. de Justif. Cap. 16. hæc ipsa Augustini verba facit sua: *Tanta est erga homines Dei bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.*

Ad hunc sensum, & hac ipsa ratione (quod nonnisi per gratiam & ex vi gratiæ suum homo præstet assensum, Deoque cooperetur) *Totum Dei esse; totumque Deo, eiusque gratiæ adscribendum*, sæpius asserit Augustinus, ac maxime in Enchiridio ad Laurentium Cap. 32. & Lib. de dono perf. Cap. 13. quod & præclara D. Cypriani sententia confirmat Lib. 3. Testimoniorum ad Quirinum scribentis: *in nullo gloriantur, quando nostrum nihil fit.* Nihil inquam nostrum, hoc est ita nostrum, ut non sit acceptum a Deo.

An non igitur timendum est hic, ne fidem Ecclesiæ adversus Semipelagianos sancitam olim ac definitam, huiusce demum propositionis damnatione concussam, violatamque calumnientur Lutherani & Calviniani; nisi & quo sensu damnata illa sit, explicetur; ab Augustiniano, ut credere par est, longe diverso?

Quod

Quod utique non incommode fiet, si declaratur, Clementem propositionem 69. Censura notasse, de puræ liberalitatis dono intellectam, cooperationem humanam, ac meritum ex ea cooperatione quæsitum excludente, qui Calvinianus est error: non de puræ liberalitatis dono, humanam cooperationem ac meritum ex ipsa Dei gratia profectum importante, & coronante; quæ catholica veritas est, olim contra Pelagianorum reliquias definita.

§. III.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ CENSURA NOTATÆ.

Propositio 52. *Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo germine & semine: sed hæc fides non est absque amore & fiducia.* Refl. moral. Act. Ap. C. X. v. 43.

Propositio 68. *Bonitas Dei abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide & precibus.* Act. Ap. C. II. v. 21.

OBSERVATIO.

Compendiariam salutis viam in fide & precibus etiam ponunt sacræ litteræ: non quod sola fide precibusque (omissis ac neglectis aliis bonis operibus atque virtutibus) æterna salus obtineatur: sed quod fides & oratio media sint obtinendæ gratiæ, qua demum ad salutem pervenitur æternam. Marci 9. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Joann. 3. *Omnis qui credit in eum non perit, sed habet vitam*

F

ceter-

æternam. Joann. 5. Qui credit ei, qui misit me, habet vitam æternam. Ad Ephes. 5. Gratia estis salvati per fidem. Jaelis 2. Actorum 2. Romanorum 10. Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Omnia salutis media in fide, quæ cum amore & fiducia conjuncta sit, contineri, dif-
ferta Augustini sententia est, enarrat in Psal. 89. *Opus unum est, in quo sunt omnia, fides quæ per dilectionem operatur.* Eadem illa obtinendæ salutis media in oratione compendio contineri, affirmat idem S. Doctor Enarrat. in Psal. 52. *Pete ab illo salutem, & salus tua ipse erit.*

Ut suus igitur sacris litteris servetur honor, servetur & Augustino, rescire Theologi velint: an non Clemens XI. geminas illas propositiones confixerit, de fide & precibus intellectas, distincta cæterarum virtutum opera excludentibus; non ita tamen de fide & precibus pronunciaſſe, juxta sacras litteras, Augustinum?

§. IV.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 42. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei; sine hoc nihil, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas est.* Resol. moral. Act. Ap. C. XI. v. 9.

OBSERVATIO.

Prior propositionis pars tantum abest, ut Censura notari potuerit, ut potius fidei
dog-

dogma sit. Fidem enim, illiusque etiam initium *esse ex gratia*, dudum ab Ecclesia contra Pelagianos, illorumque reliquias definitum est. Secunda vero propositionis pars, in quam solam Censura cadere potuit, quæ sine fide nihil in homine ait esse, *nisi impuritatem & indignitatem*, geminum sensum ferre potest. Vel enim de impuritate & indignitate hominis sine fide operantis accipitur: ac sic quidem certissima est. Qui enim sine fide, bona qualiacunque exerit opera, intra moris ordinem, non idcirco purus evadit, nec Deo sit dignus (cum *sine fide impossibile sit placere Deo*, ad Rom. 11. *Nemoque justificetur, nisi ex fide*, ad Galat. 2. & 3.) sed perinde remanet infidelis, adeoque impurus, Deoque exosus. Vel de indignitate, & impuritate operum sine fide elicitorum accipitur; quasi sine fide facta opera omnia dicantur impura atque indigna: ac sic rursus geminum sensum habet. Si enim *negative*, ut schola loquitur, ea impura & indigna dicantur, quod eam non habeant puritatem & bonitatem, qua Deo sint digna, vera est propositio: cum hæc ipsa opera sine fide facta, tametsi ut cumque moraliter bona, Deo accepta non sint, & ad salutem nihil profint. Si autem *positive* impura & indigna dicantur, quod peccata sint veri nominis, Deo exosa, poenamque promerita; sic sane damnanda assertio est, imo jam diu in Bayo damnata.

Quæ omnes ambages ut extricentur, sua-

que scholis reddatur quies, operæ pretium videtur esse, declare nunc saltem, non modo quæ pars propositionis Censura libera sit; sed & qui sensus secundæ partis sit a Clemente aut damnatus, aut absolutus; num scilicet de impuritate & indignitate bonorum operum *positiva* pronunciaverit Pontifex; an de *negativa* duntaxat?

§. V.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 57. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.* Refl. moral. Matth. C. XXVII. v. 5.

OBSERVATIO.

Prima propositionis pars ex prima quidem facie suspecta est, male sonat, & in errorem inducit: verum ad moralem, ut aiunt, & asceticum sensum inflexa, quo cuncta illi deesse dicuntur, cui sunt ad finem suum assequendum cassa & inutilia; certa, pia, religiosa sententia est, ac Patribus familiaris. Quemadmodum enim ex familiari loquendi usu, nauclero tempestate jactato deesse cuncta dicuntur, si desit anchora, etsi illi forte præsto sit rudens; quia tunc ad fundandam navim restat inutilis: ita peccatori ad resipiscendum deesse cuncta dicuntur, si spes salutis anchora, ut Apostolus loquitur, in divina misericordia illi desit, quamquam illi præsto sit fides; quia ex desperatione

in

in interitum labitur. Ita D. Augustinus Enarrat. in Psalm. 50. Gregorius Magnus Lib. 8. Moral. Cap. 10. Isidorus Lib. 2. de summo bono Cap. 14. Sanctus Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 3. In quem profecto sensum Zeno Veronensis sermone de Spe, Fide, & Charitate: *Tolle spem, inquit, torpet humanitas tota: tolle spem, artes, virtutesque omnes cessabunt; tolle spem, interempta sunt omnia.*

Pars propositionis altera, quæ spem in Deo non esse ait, ubi non est amor Dei; si de amore habituali & dominante, quæ theologica virtus est, intelligatur; procul dubio erronea est. Hoc enim amore extincto, non illico spes omnis extinguatur. At si de amore actuali, eoque nascente & imperfecto, qui summi boni qualiscumque dilectio est, accipiatur; celeberrimorum Theologorum sententia est; qui spem sine amore aliquo non esse constantissime docent. S. Thomas 2. 2. q. 17. art. 8. ad 2. *Spes & omnis motus appetitivus ex amore procedit aliquo, quo scilicet amat aliquis bonum expectatum.* Et S. Bonaventura in 3. sent. dist. 26. art. 2. q. 3. *Amor est principium omnium affectionum. Quod verum est de amore secundum statum imperfectum . . . Quare nullus sperat, nisi quod amat.* Quibus prælusit D. Augustinus in Enchirid. ad Laurent. C. 8. *Spes sine amore esse non potest . . . Nec amor sine spe est, nec sine amore spes, nec utrumque sine fide.*

Quem sensum in utraque propositionis suæ parte, damnatus auctor intenderit animo, non

F 3

ad-

admodum Theologi curant; hæc enim facti quæstio est, ad salvandam lati iudicii orthodoxiam, quam hic unam defendimus, prorsus inutilis: sed quem auctoris sensum existimaverit Clemens, quemque damnarit, & ab universis fidelibus damnari voluerit, illud certe rescire plurimum interest. Num scilicet peccatori omni spe destituto totum deesse definierit, quod cætera illi evadant ad salutem penitus inutilia; non quod illi tunc cætera desint omnia, ac ipsa etiam fides? Numve spem sine amore saltem imperfecto esse non posse decreverit, esto sine perfecto amore extet aliquando?

§. VI.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 51. *Fides justificat quando operatur: sed ipsa non operatur nisi per charitatem.* Refl. moral. Act. Ap. C. XIII. v. 39.

OBSERVATIO.

Prima propositionis pars extra dubium est; *fides enim sine operibus mortua est*: fides autem mortua non justificat: cum potius *justus ex fide vivat*, secundum Apostolum. Fides itaque justificat, quando operatur.

Secunda autem pars (in quam videtur districta Censura) quæ fidem non operari ait nisi per charitatem; si de fide quacunque intelligatur, quasi nullus illius sit actus proprius, erronea est: suum enim unaquæque virtus proprium

prium aliquem actum habet. At si de fide, ut justificans est accipiatur; quod hæc nonnisi per adjunctam charitatem, justificationem operetur, fidei dogma est, in Concil. Trident. definitum, sess. 6. de Justific. C. 7. & 11. & Can. 18. & 19. & ex Apostolo delibatum, ad Galat. Cap. 5. vers. 6. *Fides per charitatem operatur.* Quæ enim fides illa est, quæ per charitatem operatur, secundum Apostolum, nisi ipsa illa quæ justificat? Quandoquidem ex Jacobo Cap. 2. Epistolæ, *ex operibus justificatur homo* (utique charitate formatis) *Et non ex fide tantum*, inertis nimirum & mortua.

Quid itaque in ea propositione damnatum voluerit Clemens, explicari necesse est; ne quis forte violatam Apostolorum fidem impie calumniatur. Annon scilicet illud damnaverit unum, fidem, ut simpliciter fides est, proprium actum habere nullum, quamquam ultro citroque concesserit, fidem ut justificans est, nonnisi ex adjuncta charitate justificationem operari.

§. VII.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ CENSURA NOTATÆ.

Propositio 55. *Deus non coronat nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu, Et ex alio motivo, in vanum currit.* Refl. moral. 1. ad Corinth. 9. v. 14.

Propositio 56. *Deus non remunerat nisi charitatem: quoniam charitas sola Deum honorat.* Matth. C. XXV. v. 36.

OBSERVATIO.

Prima pars utriusque propositionis sic accepta, quod nullus omnino sit aliarum virtutum valor, fructus nullus, præmium nullum, erronea est. Suum enim unicuique virtuti præmium adpromisit Deus. Sic autem accepta, quod aliæ virtutes valorem *supernaturalem* se ipsis nullum habeant, nullum se ipsis referant vitæ fructum, vitamque æternam se ipsis proprie non mereantur, sed quatenus earum actus a charitate imperantur, D. Thomæ sententia est. 1. 2. q. 114. art. 4. *Vita æterna in Dei fruitione consistit: motus autem humane mentis ad fruitionem divini boni, est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur ad hunc finem, secundum quod aliæ virtutes imperantur a charitate. Et ideo meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur.* Quo sensu ab Apostolo dictum est 1. ad Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, & cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem non habuero, nihil mihi prodest.* Et ab August. Lib. de gratia Christi

Cap.

Cap. 26. *Ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur a Deo.*

Secunda prioris propositionis pars, qua in vanum currere dicitur, qui alio motivo, alioque impulsu currit, quam charitatis; si ita forte sumatur, quod ad præsentis vitæ honestatem nihil valeant, sine charitate edita quodque opera; nihilque ad temporalem felicitatem a Deo unquam consequi possit, qui sine motivo & impulsu charitatis operatur & currit; falsa est, ac ipsi Augustino contraria: qui Polemonis ethnici continentiam, & *donum fuisse Dei, & ad præsentis vitæ honestatem valuisse docet*, Epist. nunc 144. alias 130. Romanosque orbis imperium a Deo consecutos monet, ob egregias, quas excoluere virtutes, fide licet & charitate destituti. Si ita vero sumatur, quod ad salutem æternam nihil profint, edita sine motivo & impulsu charitatis quæcunque opera; indubitata veritas est. Quocirca ab Augustino dictum est: *Charitas est, quæ potest sufficere, si cætera non sint. Si autem sola desit, nihil prodest quidquid habitum fuerit. Sola sufficit, si adsit: cætera omnia nihil profunt, si sola charitas desit.* Hom. ultima inter quinquaginta.

Altera secundæ propositionis pars, quæ charitatem solam Deum honorare ait, sequenti paragrapho, cum aliis quibus consona est propositionibus, expendetur. Interea explicari sibi Theologi rogant, quem sensum Clemens intenderit animo, in earum propositionum

F 5

con-

confixione: ne quis mentem eius aliter quam par est interpretatus, laxiores in catholicas scholas opiniones inducat. Num scilicet damnatam voluerit D. Augustini, ac D. Thomæ sententiam, quæ solam charitatem prodesse ponit ad vitam æternam; penesque illam solam stare ait, obtinendæ gloriæ meritum, quatenus cæteræ quæcunque virtutes, suum licet præmium in cœlis sint habituræ, illius tamen obtinendi vim se ipsis non habeant, sed quatenus illarum actus a charitate imperantur? An non potius binas illas damnaverit assertiones, in eum sensum acceptas, quod suum cæteris virtutibus negent præmium obventurum?

§. VIII.

QUESNELLIANÆ PROPOSITIONES
CENSURA NOTATÆ.

Propositio 50. *Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille qui clamat.* Resl. moral. ad Rom. C. VIII. v. 15.

Propositio 53. *Sola charitas christiano modo facit actiones christianas, per relationem ad Deum & Christum.* Ad Coloss. C. III. v. 14.

Propositio 54. *Sola charitas est, quæ Deo loquitur.* 1. Cor. C. XIII. v. 1.

Propositio 58. *Nec Deus est, nec Religio ubi non est charitas.* 1. Joan. C. IV. v. 8.

OBSERVATIO.

Hæc ipsas loquendi formulas, ut interim de sensu nihil dicam, Augustino frequentes observo.

So-

Solam charitatem Deo loqui, seu quod idem est, sola charitate Deo nos loqui; frustraque ad Deum clamare nos, nisi spiritus charitatis clamet in nobis, (quod binæ propositiones habent 54. & 50.) conceptissimis verbis asserit S. Doctor serm. 71. C. 18. *Nos clamamus, sed in illo, id est, in ipso diffundente charitatem in cordibus nostris, sine quo inaniter clamat, quicumque clamat.* Tract. 74. in Joan. *Nemo dicit, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto, & nemo sic dicit, nisi qui diligit.* Enarrat. in Psalm. 37. *Tacebis, si amare destiteris.* *Frigus charitatis silentium cordis est: flagrantia charitatis clamor cordis est.* Lib. de moribus Eccl. Cap. 17. *Amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur.*

Solam etiam charitatem christiano modo facere actiones christianas, per relationem ad Deum, & Christum, quod 53. propositio ponit, affirmat disertissime S. Doctor Lib. de gratia, & libero arbitrio Cap. 18. *Quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fiet bene.* Epist. nunc 140. alias 120. *Tunc recte, tunc iuste, tunc pie fit, cum opus bonum in eius laudem fit, cuius gratia donatur, ut fiat.* Epist. 197. alias 95. *sola charitas non peccat.* Lib. 3. de Doctrina Christi. Cap. 10. *Non est fructus bonus, qui de charitatis radice non surgit.* Cui & concinit D. Thom. 1. 2. quæst. 100. art. 10. *Sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum.* Et ideo præceptum charitatis

im-

implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.

Postremo nec Deum esse, nec Religionem, ubi non est charitas, quod 58. ponit assertio, docet idem S. Doctor, Epist. 167. ad Hieronymum: *Pietas cultus Dei est; & unde colitur Deus nisi amando?* Lib. 12. de Trinit. Cap. 14. *Quis est cultus Dei nisi amor eius?* Lib. 12. de Civit. Dei. Cap. 13. *Charitas Dei cultus est, hæc vera Religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita servitus.*

In hac tanta sententiarum (quo ad voces saltem & syllabas) consonantia, non deerit maleferiatus, uti nec defuit haftenus, qui Augustinum in Quesnellio damnatum obtendet; nisi certo aliquo documento planum Theologis fiat, pares loquendi formulas dispari longe sensu Clementina Constitutione fuisse proscriptas. Augustinum scilicet de charitate generatim accepta dixisse: Clementem de charitate ad certam speciem tracta pronunciasse: hoc est, ut clarius dicam, docuisse frequentissime Augustinum, solam charitatem Deum colere; Deo loqui, ad Deum de corde nostro clamare, actiones christianas facere modo christiano; qualiscumque tandem charitas illa sit, perfecta an imperfecta, nascens aut dominans, actualis an habitualis, prima veri boni dilectio, an plena Theologica virtus? Clementem vero districta Censura negasse, id solam facere charitatem, quæ plena, quæ perfecta, quæ dominans

minans sit, virtusque Theologica; cum id & altera charitas, imperfectiori tamen modo, faciat.

§. IX.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ CENSURA NOTATÆ.

Propositio 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones omnes, & actiones nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia diligit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor quo nos ipsos ac mundum diligimus; qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc insum fit malus.* Refl. moral. Joan. C. V. v. 29.

Propositio 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt.* Matth. C. V. v. 28.

Propositio 49. *Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.* Marc. C. VII. v. 21. 22. 23.

OBSERVATIO.

Ex sancto Leone Magno, & ex D. Augustino syllabatim excerptæ videntur propositiones illæ omnes, si de prima facie spectentur.

S. Leo Papa huius nominis primus Sermone 5. de jejuniis septimi mensis Cap. 7. *Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diversæ qualitibus, sicut distinguuntur auctoribus. Rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia; in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia.*

San-

Sanctus Augustinus Lib. 9. de Trinit. Cap. 7. *Nemo volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit. Quod verbum amore concipitur, sive creaturæ, sive Creatoris; id est, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis: ergo aut cupiditate, aut charitate. Non quod non sit amanda creatura: sed si ad Creatorem referatur amor ille, jam non cupiditas, sed charitas erit. Tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur creatura: tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem.* In Enchir. ad Laurent. Cap. 117. *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.* Epist. 155. ad Macedonium: *Non faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores.* Lib. 4. contra Julianum Pelag. Cap. 3. *Per hunc amorem Creatoris, bene quisque utitur etiam creaturis: sine hoc amore Creatoris, nullus quisquam bene utitur creaturis.*

Si quantum hæc cum Quesnellii propositionibus congruunt verbis, tantum congruerent sensibus, de Leone profecto, ac de Augustino actum esset. Verum non congruere sensibus, planum erit ubi semel certo nobis documento constiterit, Leonem & Augustinum nomine charitatis amorem Dei qualemcumque etiam actualem, remissum, nascentem, imperfectum, qui veri boni dilectio dicitur, designasse, nomineque vicissim cupiditatis, amorisque nostrum actualem qualemcumque creaturarum amorem intellexisse: Clementem vero Quesnellii propositiones configentem, de charitate habituali, perfecta, dominante, quæ Theologica

gica virtus est, & de cupiditate perinde dominante fecisse iudicium, uti superiori paragrapho observavimus.

§. X.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando amor Dei est illius principium interius, & Dei gloria eius finis, tunc purum est quod apparet exterius: alioquin non est nisi hypocrisis, & falsa injustitia.* Refl. moral. C. XXIII. v. 26.

OBSERVATIO.

Pluribus conflatur partibus propositio, iisque ex prima saltem facie verioribus, quam ut facile capi possit, quid distincte Clementina Censura ferierit.

Prima pars, quæ obedientiam legis ex charitatis fonte debere profluere simpliciter dicit, si de integra legis observantia accipiatur, quod nempe lex tota & integra nonnisi charitate impleatur; fidei caput est, divinis in literis revelatum. Sapientiæ 6. *Dilectio custodia legum illius est.* Ad Rom. 3. *Plenitudo legis est charitas.* Ad Galatas 5. *Omnis lex in uno sermone impletur, diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Matth. 22. *In his duobus mandatis (dilectionis Dei & proximi) universa lex pendet & Prophetæ.* Ad quæ intendens Augustinus Lib. de catechizandis rudibus Cap. 20. *Legem non implet nisi*

nisi charitas. Lib. 19. contra Faustum Cap. 27. *Sola charitate iustitia legis potest impleri.* In Expositione Epist. ad Galatas, *mandata non implet nisi charitas.* Unde D. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 4. & 8. ex professo docet, sine gratia justificationis (quæ certe sine charitate habituali non est) non posse impleri omnia mandata, nec posse vitari longo tempore mortale peccatum.

Rursus, si de obedientia ad aliquod peculiare legis mandatum implendum, pars illa sumatur: quod nempe quodcumque peculiare legis mandatum ex charitate impleri debeat, vera quoque esse potest; modo de charitate actuali, remissa, & imperfecta dicatur; & de mandato secundum modum implendo. Quamquam enim peculiare aliquod mandatum, quoad substantiam tantum, sine actuali & remissa charitate possit impleri, minime tamen secundum modum, ut sæpe docet D. Thomas.

Altera propositionis pars, quæ externum operis actum purum esse ait, *quando Dei amor est illius principium exterius, & gloria Dei eius finis*, nulli quod sciam Censuræ patere potest. Quomodo enim posset non esse purum opus illud, quod ex Dei amore fit, & ad Dei gloriam fertur?

Tertia demum pars, in qua venenum aliquod latere potest, nempe: *tunc non est nisi hypocrisis, & falsa iustitia, quando obedientie principium non est Dei amor, & Dei gloria eius finis; si nomine hypocrisis, falsæque iustitiæ verum* pro-

propriumque peccatum intelligatur; falsa est, erroremque sapit in Bayo damnatum. Si tamen hypocrisis falsæque iustitiæ nomine, opus duntaxat intelligatur, ex vera iustitia veraque virtute minime profectum; D. Augustini ac S. Thomæ sententia est. Quamquam enim peccatorum omnium, servorumque peccati, ac potissimum infidelium opera, veri nominis peccata esse non putent; veræ tamen iustitiæ verarumque virtutum opera nulla in illis agnoscunt: sed actus utut maxime aliquos bonarum dispositionum & inclinationum, ad ea quæ sunt de genere virtutum, ut loquitur D. Thomas 1. 2. quæst. 23. art. 7.

Quæ omnia nisi enodentur, distinguantur, & explicentur, nullus latæ Censuræ fructus constabit; imo potius grave, ne ea nebulones abutantur, periculum suberit.

Quapropter & hoc discere Theologi velint, num Clemens, in ea damnanda propositione, obedientiam *universæ legis* intellexerit; an forte *peculiaris cuiusque mandati de lege?* Numve hypocrisis falsæque iustitiæ nomine, verum propriumque peccatum intellexerit; an opus iustitia quidem & sanctitate vacuum, non itidem moraliter malum?

§. XI.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 45. *Amore Dei in corde peccatoris non amplius regnante, necesse est, ut in eo car-*

G

nalis

ualis cupiditas regnet, omnesque actiones eius corrumpat. Refl. moral. Luc. C. XV. v. 13.

OBSERVATIO.

Divi Augustini pars prior est, conceptissimis verbis, in Enchir. ad Laurent. Cap. 117. *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas. Si quid tamen in sensu habet dubii ex dictis §. 8. & 9. expediri facile potest.*

Pars altera, quæ carnalem cupiditatem omnes peccatoris actiones corrumpere ait, de omnibus in universum actionibus intellecta, falsissima est, & in Bayo damnata: at de iis tantum accepta, in quas cupiditas influit, indubitata veritas est. Quocirca D. Prosper Lib. contra Collatorem Cap. 28. *Manifestissime patet in impiorum animis nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum immunda esse, atque polluta; in quæ scilicet impietas influit; seu quæ ex motivo infidelitatis eduntur, aut movente cupiditate exeruntur.*

Quam itaque propositionis huiusce partem Censura confixerit Clemens XI. quemve illius sensum intenderit animo, doceri cupiunt boni omnes: num forte de actibus peccatoris omnino singulis dixerit, aut de iis tantum, in quos carnalis cupiditas influit?

§. XII.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ CENSURA NOTATÆ.

Propositio 1. *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum ipsiusque gratiam amisit, nisi peccatum,*
Et

Et peccati consecutiones, superba paupertas, Et segnis indigentia; hoc est generalis impotentia ad laborem, Et orationem, Et omne opus bonum? Refl. moral. Luc. C. XVI. v. 3.

Propositio 48. *Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ Et aberratio, Et nisi peccatum, sine Dei lumine, sine Christo, Et sine charitate?* Ad Eph. C. V. v. 8.

OBSERVATIO.

Eodem ac superiores æquivoco ludunt propositiones illæ duæ; ac prout varie explicantur, Censuram merentur, aut laudem. Quibus & illud addere licet: si de singulis peccatoris & infidelis operibus propositiones explicantur; quasi sint omnia veri nominis peccata erroneæ sunt, uti diximus, & in Bayo damnatæ. At si de peccatore ipso & infideli explicare lubeat; quod ille in habitu infidelitatis atque peccati positus, quidquid honesti videatur agere, totus tamen sit ex habitu tenebrosus, ac tenebræ ipsæ; superbus, ac ipsa superbia; pauper & impotens, ac ipsa paupertas & impotentia, aperta veritas est, ab Apostolo prædicata, ad Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ* (nempe dum in infidelitate Ephesii versarentur) *nunc autem lux in Domino:* quia bona moraliter opera, si quæ forte Ephesii tunc ederent, infidelitatis tenebras non depellebant. An ergo Clemens propositiones illas configens, de infidelibus operantibus (quod tenebrofi semper sint, ac ipsæ tenebræ) iudicium tulit, an

de infidelium operibus (quod tenebrosa sint omnia atque peccata, ex quo sine fide & charitate peracta sunt) pronunciavit?



CAPUT X. DE AFFLICTIONIBUS ET PERSECUTIONIBUS FIDELIUM.



§. I.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 70. *Nunquam Deus affligit innocentes: & afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.* Refl. moral. Joan. C. IX. v. 3.

OBSERVATIO.

In hic rursus cæcas ambages, quæ ductorem postulant experientissimum. Si de quovis afflictionum genere accipiatur propositio, ac spectata præsertim primaria Dei intentione afflictiones immittentis; falsa omnino est, Sanctis plerisque ac præsertim Deiparæ Virgini injuriosa: qui ad majorem Dei gloriam, in probationem virtutis, & in meritorum augmentum, non modicas passi sunt afflictiones. At si de afflictionibus tantum, poenæ rationem habentibus accipiatur, & attenta secundaria Dei easdem immittentis intentione, indubitata veritas est, a D. Thoma fuse explicata, 1. 2. quæst.

quæst. 87. art. 7. quo sensu ab Augustino dictum est, Lib. 1. operis imperf. Cap. 39. *Neque sub Deo justo miser esse quisquam potest, nisi mereatur.* Lib. 1. Retractat. Cap. 9. *Omnis pœna justa est, & pro peccato aliquo impenditur.* Lib. 3. de lib. arbitr. Cap. 18. *Omnis pœna si justa est, peccati pœna est & supplicium.* Imo Sapientiae 12. *Domine cum sis justus, juste omnia disponis; ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare, externum æstimas a virtute tua.*

Expedi igitur, ut de quibus afflictionibus propositionem illam Clemens acceperit, explicetur; ne & D. Thomas, & D. Augustinus, imo & Salomon eadem cum Quesnellio Censura inusti videantur.

§. II.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ CENSURA NOTATÆ.

Propositio 97. *Nimis sæpe contingit, membra illa, quæ magis sancte, & magis stricte unita Ecclesie sunt, respici atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata. Sed justus ex fide vivit, & non ex hominum opinione.* Refl. moral. Act. Ap. C. IV. v. 11.

Propositio 98. *Status persecutionis & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maxime meritoria; utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.* Luc. C. XXII. v. 37.

OBSERVATIO.

Viros justos, Ecclesiæ & Christo fide & charitate arctissime junctos, persecutionem sæpissime pati, poenis addici, Censuris injustis inuri; illorumque sanctitatem hoc pacto magis magisque probari, constantissima veritas est, sexcentis exemplis passim in Historia Ecclesiastica narratis, confirmata, quam altius exaggerat D. Augustinus Lib. 1. de Baptismo contra Donatistas Cap. 6. & lib. de vera Relig. Cap. 6. ubi de sanctissimis viris injusta excommunicatione petitis sermonem habens: *Rarum hoc videtur genus, inquit, sed tamen exempla non desunt, imo plura sunt, quam credi potest Magis excommunicatione probantur, quam si intus in Ecclesia manerent.* Annon & nota Pauli sententia 2. ad Timot. 3. *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.*

Nihil ergo videtur certius propositionibus illis absolute quidem, ac per sese spectatis: nec potuit, quantum sapio, nisi illarum abusus, si quis factus est, illarumque ad certas personas accommodatio, si qua perperam facta fuit, condemnari. Forte æstimatum est, Auctorem generales illas regulas, rebus olim in Gallia gestis, occasione Jansenismi accommodasse: ut oblique significaret, poenas illic a nonnullis refractariis toleratas, fuisse prorsus injustas, certasque justitiæ ac defensatæ ab iis veritatis notas. Qua ratione propositiones illæ

læ duæ in ore quidem Auctoris, uti male sonantes, atque suspectæ damnari potuerunt.

Jam si sic est, illud nunc explicari ac declarari necessarium videretur: ne grave illud Augustini pronunciatum, frequenti experimento comprobatum, absolute ac per sese damnatum putetur, non solus eius damnatus abusus.

§. III.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ
CENSURA NOTATÆ.

Propositio 94. *Nihil peiorem de Ecclesia opinionem ingerit eius inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidelium fidem, & sœveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.* Refl. moral. ad Rom. C. XIV. v. 16.

Propositio 95. *Veritates eo devenerunt, ut sint quasi lingua peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est velut idioma incognitum: adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium; neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos.* 1. Cor. C. XIV. v. 21.

Propositio 96. *Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut eius victoria attribui non possit, nisi divinæ gratiæ.* Act. Ap. C. XVII. v. 8.

Propositio 99. *Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad*

multos in odorem mortis id quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ: v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla. 2. ad Cor. C. II. v. 16.

Propositio 100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem, eiusque discipulos. Tempus hoc advenit . . . Haberi & tradari a Religionis ministris, tamquam impium & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flamma ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena; propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus diabolo servum Dei. Joan. C. XVI. v. 2.

OBSERVATIO.

Cum nihil dogmatis propositiones illæ contineant, sed asperas tantum grassantium nonnullorum abusuum insectationes complectantur; nulla Theologis monitione opus est, ut intelligant, nullum in iis errorem fuisse deprehensum, sed ob unam Auctoris sinistram intentionem (quasi Episcopos in causa Janseniana prosequenda sacro munere intemperanter abusus, carpere voluerit) fuisse damnatas; uti eius in ore suspectas, ac male sonantes. De motibus enim, Jansenismi occasione in Gallia

Gallia excitatis, ad exigendam formulari subscriptionem dictæ putantur propositiones illæ omnes, etsi nihil Auctor aperte significarit.

CAPUT XI.

DE GRATIA PRIMI HOMINIS INNOCENTIS.

§. I.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 35. Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanctæ & integræ. Resl. moral. 2. ad Cor. C. V. v. 21.

OBSERVATIO.

Tam etsi gratiam sanctificantem naturæ Adami sanctæ & integræ stricto jure minime debitam fateantur Theologi universi, maxime post Bayanarum propositionum a Pio V. Pontifice Sanctissimo damnationem; de congruo tamen, in Dei bonitate fundato, ut schola loquitur, eandem illi debitam gratiam existimant bene multi: qui scilicet suavi Dei providentiæ maxime congruere arbitrantur, ut hominem a se conditum, ad ordinem supernaturalem eveheret, suaque gratia cumlaret. Ad pacem itaque libertatemque catholicarum scholarum scire juvat, num eam propositionem, de debito etiam congrui sumptam damnaverit Clemens XI. an de solo stricti juris debito intellectam.



§. II.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 36. *Differentia essentialis inter gratiam Adami & status innocentiae, & gratiam christianam, est; quod primam unusquisque in propria persona recepit; ista vero non recipitur, nisi in persona Christi resuscitati, cui uniti sumus.* Resl. moral. ad Rom. C. VII. v. 4.

OBSERVATIO.

Illud unum, si bene coniicio, ea in propositione damnatum est, quod gratia christiana, seu Christi meritis parta, quæ nobis in statu naturæ lapsæ confertur, recipi dicatur in nobis, non in persona nostrum omnium propria, sed in persona Christi Domini, cui sumus uniti. Verum ea loquendi formula duplicem sensum ferre potest: Calvinianum unum, quod nempe gratia sanctificans, seu iustitia nobis nequaquam inhæreat, sed uni Christo Domino; quæ nobis idcirco duntaxat imputetur & applicetur externe. Apostolicum alterum, quod gratia sanctificans, quantumvis nobis inhærens, non tamen titulo nostro, merito nostro, ratione nostri recipiatur in nobis; sed Christi Domini Salvatoris merito, a quo tanquam vite & capite in nos, velut in membra eius & palmites, derivatur atque transfunditur. Sic sane non in persona nostrum omnium propria, recepta dicitur gratia, sed in Christi persona: ad eum ferme modum, quo urbis Præfectus & Re-



Rector claves urbis recipere dicitur, non in persona propria, sed Principis; quamquam illas re ipsa recipiat: & Legatus in persona Principis loqui & agere dicitur, non in sua, etsi re ipsa & loquatur, & agat: quia hoc illi faciunt Principis authoritate, non propria. Hinc frequentes illæ apud Apostolum locutiones: *Benedixit nos in omni benedictione in Christo Jesu . . . Gratia Dei data est nobis in Christo Jesu . . . Sanctificati in Christo Jesu . . . Creati in Christo Jesu in operibus bonis.* Et Augustinus Lib. de dono persever. Cap. 7. *Hanc gratiam, inquit, posuit Deus in illo (Christo Jesu) in quo sortem consecuti sumus.*

Quæ cum ita sint, illud nunc aperire necesse est, quid in ea propositione damnaverit Clemens? Unum ne Calvinianum errorem de sanctitate & iustitia nobis non inhærente, sed externe tantum imputata? (quem sensum Auctoris putarit esse) an quid aliud, sub ea loquendi formula Apostolo familiari, occulte latitans Censura confixerit?

§. III.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 37. *Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso erat illi proportionata: gratia christiana nos sanctificando in Christo Jesu est omnipotens, & digna Deo.* Resl. moral. ad Eph. C. I. v. 6.

OB-

OBSERVATIO.

Quod hic de gratia nos ipsos in Christo Jesu sanctificante obiter dicitur, quo sensu damnari possit aut recipi, superiori paragrapho dictum est: jam quod hic additur: *Adami gratiam fuisse illi proportionatam*, superest explicandum. Et quidem si de physica proportionem intelligatur, quasi gratia Adami sanctificans esset illi connaturalis, aut naturæ illius integræ strictissimo jure debita, errorem saperet patentissimum in Michaeli Bayo prædamnatum: At si de proportionem quadam morali accipiatur, adeo ut constitutæ antithesis sensus sit, gratiam Adamo datam utpote sano & integro, minoris efficaciz virtutisque fuisse, quam quæ nobis infirmis ac lapsis in Christo datur, atque per Christum, Augustini probatissima sententia est, Lib. de Corrept. & gratia. Cap. 10. 11. & 12. gratiam Christi Domini *potentior in nobis sæpius appellantis*, quam quæ fuerit Protoparenti collata; utpote quæ liberum arbitrium nostrum *indeclinabiliter & insuperabiliter agat*; quod Adami gratia non agebat.

Si ergo non est hic damnatus cum Quesnellio Augustinus, quid distincte in ea propositione 37. damnarit Clemens, doceri Theologi postulant; ne quis in eius caput Censuram inique detorqueat.

§. IV.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 34. *Gratia Adami non producebat nisi merita humana.* Refl. moral. 2. ad Corinth. C. V. v. 21.

OBSERVATIO.

Phrasis est Augustini Lib. de Prædest. SS. Cap. 15. *Humana hic merita non conticescant, quæ perire per Adam.* Erant ergo ex Augustino in Adamo innocente *humana merita*, quæ postea illo peccante perire, ut talia jam non reperiantur in nobis. Quæ tamen Adami merita, non idcirco *humana* a S. Doctore sunt dicta, quod humanæ duntaxat naturæ viribus parta essent, absque ullius gratiæ supernaturalis adjutorio; (Adamus enim innocens, non nisi cum gratia & per gratiam meruit, si quid meruit; qualiscunque illa fuisse dicatur juxta varias Theologorum opiniones) sed quod liberum hominis arbitrium, utpote suapte natura fortius ac robustius, majores tunc ad meritum partes haberet, quam habeat nunc læsum & vulneratum in nobis.

Quid itaque in ea phrasi Augustiniana Clementi displicuerit, rescire optant, quotquot de S. Doctoris honore solliciti sunt, ut rectam illius intelligentiam accipiant.

CAPUT XII. DE GRATIA HOMINIS LAPSI.

§. I.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ CENSURA NOTATÆ.

Propositio 10. *Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare. Refl. moral. Matth. C. XX. v. 34.*

Propositio 11. *Gratia non est aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei jubentis & facientis, quod jubet. Marc. C. II. v. 11.*

Propositio 12. *Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem. Marc. C. II. v. 11.*

Propositio 13. *Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas ei resistit. Luc. C. V. v. 13.*

Propositio 14. *Quantumcumque a salute remotus sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum. Marc. C. V. v. 7.*

Propositio 15. *Quando Deus mandatum suum, & suam externam locutionem comitatur unctione sui spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur ille in corde obedientiam, quam petit. Luc. C. IX. v. 60.*

Propositio 16. *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti. Act. Ap. C. VIII. v. 12.*

Pro-

Propositio 17. *Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum. Quicumque ad Deum non venit, postquam audivit vocem exteriorum Filii, nullatenus est doctus a Patre. Joan. C. VI. v. 45.*

Propositio 18. *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum. Act. Ap. C. XI. v. 21.*

Propositio 19. *Dei gratia nihil aliud est, quam eius omnipotens voluntas. Hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis scripturis. Ad Rom. C. XIV. v. 4.*

Propositio 20. *Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt, loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt. Marc. C. IV. v. 39.*

OBSERVATIO.

Pares omnino loquendi formulas, imo graviores, majorisque nervi in Augustino deprehendo; quibus gratiæ se ipsa efficacis intimam energiam, vim prorsus invictam, indeclinabilem potestatem, insuperabilem fortitudinem millies commendavit.

Lib. de corrept. & grat. Cap. 14. *Deo volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium; sic enim velle & nolle in volentis & nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem . . . Non est itaque dubitandum voluntati Dei humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult: quandoquidem etiam de*

de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit . . . sine dubio habet humanorum cordium, quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem.

Lib. 1. Operis imperf. Cap. 93. Absit, ut impediatur ab homine Omnipotentis Dei omnia præscientis intentio. Parum de re tanta cogitant, vel ei excogitandæ non sufficiunt, qui putant, Deum Omnipotentem aliquid velle, & homine infirmo impediante, non posse.

In Enchiridio ad Laurent. Cap. 98. Quis tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?

Lib. de grat. & lib. arbitr. Cap. 20. Hominum voluntates ita sunt in Dei potestate, ut eas quo voluerit, quando voluerit faciat inclinare.

Lib. de Prædest. SS. Cap. 8. Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.

Lib. de corrept. & grat. Cap. 12. Subventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur. . . Infirmis servavit Deus, ut ipso donante invictissime quod bonum est vellent, & hoc deferere invictissime nollent. Et Cap. 8. Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia libertatem; & ut perseveret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.

Lib. de gratia Christi Cap. 14. Quando Deus docet non per legis litteram, sed per spiritus gratiam,
ita

ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam videndo appetat, volendoque perficiat . . . Omnis qui didicit a Patre, non solum potest venire, sed etiam venit: ubi jam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est.

Epist. olim 107. ad Vitalem nunc 217. Voluntates hominum omnipotentissima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus facit.

Lib. de corrept. & grat. Cap. 5. Deus hominem peccatorem occultissima & potentissima medicina suæ potestate perducit.

Tanta porro cum sit Augustinianarum sententiarum cum Quesnellii propositionibus, in vocibus saltem & syllabis, consonantia; quis jure non timeat, vereaturque, ne qui S. Doctoris gloriæ minus student, eundem in Quesnellio damnatum effutiant, suasque in illum calumnias animosius instaurent; nisi publico aliquo supremæ auctoritatis documento planum fiat, paribus loquendi formulis sensus subesse longe dispares, aliudque sub eodem verborum cortice damnaſſe Clementem, aliud Augustinum docuisse?

Et quidem Augustinus de prima duntaxat, eaque præcipua interioris actualisque gratiæ specie dixit laudatis in locis, quam efficacem Theologi vocitant; deque absoluta Dei voluntate, quam consequentem schola nuncupat, pronunciavit: quarum duntaxat intimam energiam, indeclinabilem potestatem, insuperabi-

H

lem

lem fortitudinem verbis amplissimis commendavit. Clemens vero (quantum conijcio) notatas Quesnellii propositiones de quacunque actuali gratia, ac de quavis Dei voluntate dictas existimavit; quasi nulla alia actualis gratia, voluntas Dei alia nulla poneretur; easque idcirco Censura confixit.

Rursus ubi potentiam gratiæ resistendi, eamque frustrandi, impediendi, ac retardandi inficiatus est S. Doctor, consequentem duntaxat, quæ *actus secundi* a Theologis dicitur, intellexit: Clemens autem negatam a Quesnellio resistendi potentiam, antecedentem existimavit, & *actus primi*; atque ita damnavit.

Hoc sane interpretamento, a Clementina Censura liber ostenditur Augustinus. At nisi publica detur auctoritate, quæ certam in iudicio fidem faciat, verentur maxime Theologi, ut ora comprimant, & ab inferenda calumnia sibi temperent, qui Augustinum in hoc prægravi doctrinæ suæ capite, a Clemente male multatum, eademque cum Quesnellio Censura iniustum, scriptis audacissimis publicarunt.

§. II.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ CENSURA NOTATÆ.

Propositio 2. *Jesu Christi gratia principium efficax boni cuiuscunque generis necessaria est ad omne opus bonum. Absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.* Resl. moral. Joan. C. XV. v. 5.

Pro-

Propositio 9. *Gratia Dei est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.* 1. ad Cor. C. XII. v. 3.

OBSERVATIO.

Prima prioris propositionis pars, quæ gratiam efficacem (seu principium efficax) ad omne bonum opus necessariam dicit, si de gratia habituali & sanctificante hoc dicat (nam & illa certo quodam sensu principium efficax dici potest) erronea est, & in Bayo damnata. At si de gratia actuali sermonem facit, tunc vel de bono opere supernaturali & salutari id dicit, vel de bono opere naturali, intra moris ordinem loquitur (aliud enim fingi non potest) si de bono opere supernaturali & salutari dicit, ad quod gratiam actualem efficacem necessariam velit, certa & orthodoxa sententia est, ab Augustino tradita Lib. de gratia Christi Cap. 14. *Gratiam Dei sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque iustitiam, fieri posse non dubitet.* Et Epist. olim 106. ad Sixtum, nunc 186. *Nisi adjuvet gratia, nihil pietatis, atque iustitiæ, sive in opere, sive etiam in voluntate habere possumus Fateatur Pelagius gratiam Dei & adiutorium etiam ad singulos actus dari.* Si vero de bono opere naturali, & intra moris ordinem loquitur, ad quod edendum gratiam aliquam actualem & efficacem necessariam ponat; non certa quidem, sed tamen

H 2

pro-



probabilis plurium Theologorum opinio est; qui licet gratiæ sanctificantis & charitatis habitualis, imo etiam fidei influxum minime necessarium fateantur, ut opus edatur moraliter bonum, gratiæ tamen alicuius actualis auxilium ad id necessarium arbitrantur. Quos inter etiam post Baii damnationem, numerantur, Didacus Alvares Lib. 6. de Auxiliis disput. 50. num. 6. Thomas de Lemos in Panoplia Tom. 3. Lib. 3. Part. 2. Tractat. 2. Cap. 9. Gabriel Vasquez 1. 2. disp. 190. C. 18. Card. Bona in princip. vitæ Christi 1. Part. §. 3. Card. Fischerius adversus articulos Lutheri. Card. de Noris in Vindiciis August. Cap. 3. §. 4. & Cap. 4. §. 5. Vincentius Contensonius Tom. 5. disert. 2. Cap. 1. Specul. 2. ut cæteros Baii ætate superiores Theologos mittam, quibus eadem sententia a Navarro & Bellarmino tribuitur. Quibus omnibus præluxisse videtur D. Thomas 2. 2. quæst. 136. art. 3. ad 2. *Bonum politicæ virtutis commensuratum est naturæ humanæ; & ideo absque auxilio gratiæ gratum facientis potest voluntas humana ad illud tendere, licet non absque auxilio gratiæ.*

Propositionis primæ pars altera, uti & altera propositio, quæ nihil boni fieri *posse* asserit, nedum fieri re ipsa, sine gratia efficaci; si de potentia naturali, aut etiam supernaturali remota, & incompleta intelligatur, quasi absque gratia efficaci, supernaturalis potestas etiam remota & incompleta, nulla unquam

ex-



extet ad bonum, ope saltem ac beneficio gratiæ mere excitantis (quam sufficientem scholasticat) erronea est: si tamen de potentia supernaturali proxima, completa, absolutissimaque accipiatur, quasi sine gratia efficaci non extet, sed per solam efficacem gratiam confertur, probatissima Theologorum sententia est, aptaque loquendi formula, ex sacris litteris, Romanis Pontificibus, Conciliis, Patribus mutuata. Sine gratia enim *non posse hominem bene agere* sæpissime dicunt, etiam ubi de gratia efficaci sermonem habent; potentiam proximam, completam, absolutissimamque intelligendo; quam tunc inesse homini negant, dum efficaci gratia destituitur.

Ita Innocentius I. R. P. Epist. ad Episc. Africæ inter Augustinianas 181. S. Leo M. ferm. 37. Cælestinus R. P. in Capitulis. Concil. Carthaginense anni 418. Can. 6. Concil. Arausiac. 2. Canon. 25. Concil. Tridentinum Sess. 6. Can. 22. S. August. Lib. de gratia Christi Capp. 10. 14. & 26. Lib. de gratia & libero arbitr. Cap. 17. Lib. 2. contra duas Epist. Pelag. Cap. 9. Lib. 1. Operis imperf. C. 97. Lib. de corrept. & gratia Cap. 12. Tractat. 92. in Joan. Epist. ad Paulinum nunc 186. Sermonem nunc 296. S. Prosper Epist. ad Rufinum, & Lib. contra Collatorem Cap. 5. S. Thomas quæst. 24. de veritate art. 14.

Quæ cum ita se habeant, catholicarum scholarum interest maxime, declarari sibi, non

H 3

mo-

modo quo sensu binas illas propositiones confixerit Clemens; verum etiam an memoratas celeberrimorum Theologorum sententias intactas reliquerit; sensumque aliquem catholicum approbarit, secundum quem Theologis etiam liceat, Romanorum Pontificum, Conciliorum, ac Patrum loquendi formulas usurpare, eademque cum illis lingua loqui, in prædicanda divinæ gratiæ necessitate?

§. III.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 4. *Ita Domine omnia possible sunt ei, cui omnia possible facis, eadem operando in illo.* Refl. moral. Marc. C. IX. v. 22.


OBSERVATIO.

Eadem ac præcedentes eget explicatione propositio illa, ut quo sensu proscripta sit, innotescat. Si enim de quacunque præceptorum possibilitate etiam remota dicatur; quasi tunc tantum absolute sint possible præcepta, dum Deus per gratiam suam efficacem ea operatur in nobis, seu a nobis facit impleri; hæretica est: At si de possibilitate omnino completa, absolutissimaque dicatur, quæ cum effectu re ipsa conjungitur, probatissima Theologorum sententia est, sacrarum Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum paulo ante laudatorum loquendi formulis consentanea. *Neque de ipsa possibilitate contendo, cum sanata & adjuta ho-*
minis

minis voluntate, possibilitas ipsa simul cum effectu in Sanctis proveniat. Augustini verba sunt Lib. de nat. & gratia Cap. 42. qui possibilitatem cum effectu conjunctam, per gratiam efficacem dari, apertissime docet.

Et certo cum Lib. de gratia & libero arbitrio Cap. 16. disertissime doceat SS. Doctor, *præbere Deum* (per gratiam utique efficacem) *vires efficacissimas voluntati*; necesse profecto est, aliquod potentiæ genus per gratiam huiusmodi dari, cum *virium* nomine, nil nisi potestas ad agendum intelligatur. Aliquo itaque sensu, eoque summe catholico dici potest, mandata Dei nobis per gratiam efficacem fieri possible; novo scilicet possibilitatis genere, nempe proximioris, & immediatioris, quam *possibilitatem cum effectu* nuncupat Augustinus.

Totaque inde nascitur nonnullorum Clementis Constitutione turpiter abutentium hallucinatio, quod varias possibilitatis & potestatis species distinguere nolint; alias remotiores, alias proximiores; alias antecedentes, alias consequentes; alias physicas, alias morales; ut inde calumniandi ansam arripiant; Clementisque damnationem in Augustinianam doctrinam intorqueant. Has si publico aliquo supremæ auctoritatis documento distingui, & explicari contingeret; quam multæ Deus bonæ, turbæ flescere, quam multæ calumniæ, eæque atrocissimæ momento depellerentur.



§. IV.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 3. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das quod præcipis.* Refl. moral. Act. Ap. C. XVI. v. 10.

OBSERVATIO.

Divi Augustini vox illa videtur esse Lib. 2. Operis imperf. Cap. 157. *Præceptum frustra fit, nisi Deus iustus operetur & velle, per investigabiles vias suas.* Et Lib. de gratia & libero arbitrio C. 4. *Homo gratia juvatur, ne sine causa voluntati eius jubeatur.* Videtur & esse Gregorii Magni super Psal. 7. poenitentialem. *Quicumque plantet aut riget, incassum vox correptionis exterius perscripit, nisi ille incrementum dederit, sine quo nihil possumus facere.* Quod ex Psal. 126. sumptum est: *nisi Dominus ædificaverit domum &c.*

Quorum quidem Patrum sensus is unus videtur esse; nusquam re ipsa præceptum a Deo datum a nobis impleri, nisi ille per gratiam suam implere fecerit. In quem profecto sensum accepta Quesnelliana propositio, si quid sapio, damnata non est, uti nec jure damnari potuit.

In alterum ergo sensum accepta propositio, Censura digna, ut arbitror, visa fuit: si nempe vanum Dei præceptum dicat, hoc est incongruum, injustum, indebitum, nisi Deus per gratiam efficacem dederit ipse, quod præcipit. Quæ sane impia, blasphema vox esset. Deus enim



enim pro suprema in homines potestate, præcipiendi jus semper habet, etiam dum implendi præcepti efficacem gratiam non largitur.

Is tamen notatæ propositionis sensus, ut est omnino violentus, potestque Auctori affictus videri; nonne signandus nunc, notandusque venit, tanquam qui solus Censura inurendus Clementi XI. visus fuit? Ne quis in sensum alterum, qui Gregorii & Augustini certissime fuit, latam ab eo Censuram suspicari possit.

§. V.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ CENSURA NOTATÆ.

Propositio 21. *Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis & suscitantis filium suum.* Refl. moral. 2. Cor. C. V. v. 21.

Propositio 22. *Concordia Omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illico, nobis in Incarnatione, velut in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ & gratiæ; quæ omnes ita gratuita, atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.* Luc. C. I. v. 38.

Propositio 23. *Deus ipse nobis ideam tradidit Omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas e nihilo producit, & mortuis reddit vitam.* Ad Rom. C. IV. v. 17.

Propositio 24. *Iusta idea quam centurio habet de Omnipotentia Dei & Jesu Christi in sanandis*

corporibus solo motu suæ voluntatis est imago & idea, quæ haberi debet de Omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus a cupiditate. Luc. C. VII. v. 7.

Propositio 25. Deus illuminat animam, & eam sanat æque ac corpus sola sua voluntate: jubet, & ipsi obtemperatur. Luc. C. XVIII. v. 42.

OBSERVATIO.

Ad hanc summam revocantur propositiones illæ omnes, quod operatio divinæ gratiæ in flectenda movendaque hominis voluntate, similis esse dicatur operationi divinæ, qua Deus res omnes creando produxit, humanam naturam divinæ in Incarnatione conjunxit, mortuos suscitavit, ægris sanitatem restituit. Quare cum multa secum importet ea divinæ gratiæ operatio: 1. Infallibilitatem in effectu producendo, quia fortis est, ac per se efficax. 2. Dissentiendi potentiam in humana voluntate relictam, quia suavis est, & humanæ libertatis amica. 3. *Gratuitatem*, ut schola loquitur, quia non datur ex meritis: videndum, ad quam operantis gratiæ dotem explicandam, comparationes illæ adhibitæ sint ab Auctore.

Et quidem si comparationes Incarnationis, creationis, suscitationis mortuorum, curationis ægrorum adhibeantur, ad gratiæ *necessitantis* ideam ac speciem animis ingerendam; quasi tam non possit voluntas humana gratiæ efficaci dissentire si velit, quam non potuit humana in Christo natura negare si verbo Dei, eam

eam sibi ad unionem hypostaticam assumentem; nec potuere creaturæ ex nihiloeductæ negare se Creatoris imperio; nec suscitati mortui negare se Christi voci; nec demum restituta ægris membra subducere se Omnipotentis medici jussui valuerunt: ad hoc inquam adhibitæ comparationes, ineptæ omnino sunt, & in hæresim apertam inducunt. At si ad id tantum adhibeantur comparationes illæ, ut gratiæ se ipsa efficacis energia, omnipotentia, infallibilitas, & indefectibilitas, aut etiam eiusdem *gratuitas* ostendatur; non modo apta concinque exempla sunt, verum etiam ex sacris literis petita; & a SS. Patribus, ut hoc idem ostendant, millies usurpata. Ad Ephes. Cap. 1. v. 19. & 20. C. 2. v. 10. C. 4. v. 24. Ad Heb. Cap. 13. v. 20. & 21. Ad Galat. 5. v. 15. D. August. Lib. de Prædest. SS. Cap. 15. Lib. 6. Operis imperf. Cap. 18. Lib. de dono persever. C. 21. Lib. 13. de Trinit. Cap. 17. In Enchir. C. 36. S. Joan. Chryf. hom. 3. in Epist. ad Ephes. S. Fulgentius Lib. de Incarn. & grat. Cap. 20. S. Prosper in Carm. de Ingr. Cap. 14.

Ne itaque & Paulus & Patres eadem cum Quesnellio Censura inusti putentur, operæ pretium est declarare: illos quidem Incarnationis, creationis, mortuorum suscitationis, ægrorum curationis exempla dedisse, ad gratiæ operantis & efficacis energiam, vimque indefectibilem explicandam: Clementem vero illa ipsa exempla a Quesnellio adhibita existimasse, ut dis-

diffentiendi potentiam in homine eadem illa gratia moto denegaret: eaque de causa Censuram in propositiones superiores exeruisse, illæsis tamen Patribus & intactis.

§. VI.

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ CENSURA INUSTÆ.

Propositio 38. *Peccator non est liber nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.* Refl. moral. Luc. C. VIII. v. 29.

Propositio 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se præcipitandum, virium nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* Matth. C. 20. v. 3. 4.

Propositio 40. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.* 2. Ad Thes. C. III. v. 17. 18.

OBSERVATIO.

Non absimiles, immo duriores in speciem assertiones in Augustino, aliisque Patribus in sacris Conciliis, Romanorumque Pontificum Decretis deprehendo, quæ nisi in rectum sensum accipiantur, damnati & illi una cum Quesnellio putabuntur.

S. August. Lib. de corrept. & grat. Cap. 1. *In malo faciendo liber est quisque iustitiæ, servusque peccati: in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit, si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.*

Lib.

Lib. 3. Operis imperf. Cap. 112. *Nemo liber est ad agendum bonum, sine adjutorio Dei, & Cap. 114. Nemo nisi per gratiam Christi, ad bonum quod vult agendum potest habere liberum voluntatis arbitrium.*

Lib. 1. contra duas Epist. Pelagianorum Cap. 3. *Potestas nisi detur a Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio; quia nec liberum in bono erit, quod Liberator non liberaverit. Sed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ, vel occultus vel manifestus deceptor inseruit, vel sibi ipse persuasit.*

Lib. 2. contra duas Epist. Pelag. Cap. 5. *Peccato Adæ liberum arbitrium de hominum natura periisse non dicimus; sed ad peccatum valere in hominibus subditis diabolo: ad bene autem pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta.*

Lib. de spiritu & littera Cap. 3. *Neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via: & cum quid agendum, & quo enitendum est, cæperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur.*

Serm. 10. de Verbis Apostoli. *Nostrum nihil est, nisi peccatum quod habemus.*

Tract. 5. in Joan. *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum.*

Quod ultimum Augustini dictum in Ecclesiæ Canonem transiit, in Concilio Arausicano II. C. 22. uti & cætera omnia in epilogum redacta sunt in Capitulis, Cælestini I.

Epi-

Epistolæ adnexis Cap. 7. *Nemo nisi per Christum bene utitur libero arbitrio.*

Auctor librorum de vocatione gentium, quem alii Leonem Magnum, alii Prosperum, alii Julianum Pomerium arbitrantur, Lib. 1. C. 8. *Voluntas humana, inquit, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum . . . nihil in suis habet viribus, nisi periculi facilitatem. Quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni.*

Sensus itaque varios in Quesnellianis propositionibus distingui Theologi petunt secundum quos aut damnatæ, aut absolutæ dici debeant; ne qua D. Augustino, cæterisque Patribus, atque Conciliis similia docentibus ac definientibus calumnia ab æmulis inferatur.

Si enim de gratia habituali & sanctificante notatæ propositiones intelligantur, quasi nil nisi malum possit homo sine illa; erronæ sunt, & in Bayo damnatæ. At si de gratia actuali sumantur; quod nempe nulla huiusmodi gratia excitatus & motus homo, nativisque corruptæ naturæ viribus omnino relictus, nil nisi ad malum possit, probabilis Theologorum multorum opinio est, de qua sat multa jam diximus §. 2.

Rursus si de libertate naturali, & potestate antecedente, seu *actus primi*, quæ nulla in homine actuali gratia destituto remanere dicatur ad bonum, propositiones intelligantur, erronæ sunt: At si de libertate & potestate

con-

consequenti, seu *actus secundi* sumantur; quæ sine gratia actuali, nulla ad bonum dicatur esse; certa Augustini, aliorumque Patrum sententia est, locis supra laudatis asserta ac propugnata.

§. VII.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 41. *Omnis cognitio Dei etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis non potest venire nisi a Deo: & sine gratia non producit nisi vanitatem, præsumptionem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectum adorationis, gratitudinis, & amoris.* Refl. moral. ad Rom. C. I. v. 19.

OBSERVATIO.

Nulla, quantum capio, in primam propositionis partem Censura cadere potuit; quæ Apostoli diserta sententia est, in Epist. ad Rom. Cap. 1. ubi de Philosophis Ethnicis agens: *quod notum est Dei, inquit, manifestum est illis; Deus enim illis manifestavit.*

Pars autem propositionis altera, in quam solam videtur districta Censura, eo accepta sensu, quod naturalis Dei cognitio, sine gratia, præsumptionem ac vanitatem per sese produxerit in Philosophis Ethnicis, nihilque præterea: impia & erronea est. Dei quippe dona mere naturalia, nullis licet gratiæ donis adjuncta ac roborata, se ipsis noxia & perniciofa non sunt. Eo tamen accepta sensu, quod naturalis Dei cognitio ex accidenti præsumptionem,

nem, vanitatemque produxerit in Philosophis Ethnicis, Apostoli oraculum est, laudato Cap. 1. ad Rom. v. 21. *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.* Et 1. ad Corinth. C. 8. v. 1. *Scientia inflat.*

Fatalles illos Philosophicæ de Deo cognitionis effectus admodum exaggerat S. Fulgentius, gratiæque defectui perinde tribuit, Cap. ultimo Lib. de veritate divinæ prædestinationis & gratiæ: *Quia ergo gratiam non acceperunt, propterea cognoscentes Deum gratias non egerunt; & quia vasa iræ fuerant apta ad interitum, hoc in eis operata est illa manifestatio, qua Deum agnoverunt, ut cognoscendo superbirent, non ut se humiliando diligerent. Tali ergo cognitione ablata excusatio est, non collata salvatio. Tum eam Philosophorum de Deo cognitionem naturæ lumine habitam, cum fidelium cognitionem per gratiam indita conferens. Per illam, inquit, cognitionem, cæcum cor a semetipso inflatur ad mortem: per hanc autem divinitus illuminatur, & humiliatur ad vitam. Illa cognitione cor obscuratur insipiens, dum quod Dei est, homo sibi superbus assignat: hac autem accipit lumen, ut hoc ipsum, quod Deum cognoscit ac diligit, non ex possibilitate naturæ, nec ex auditu legis, neque ex sua voluntate, sed ex Dei dono sibi inesse non ambigat, semperque humilis esse meminerit, ne superbus amittat, quod indignus accepit. Cognitio illa peccato adiicit prævaricationis reatum, ista removet a peccatore supplicium. Illa*
iuste

iuste damnat, ista gratis justificat. Illic scientia inflans nutrit augetque peccatum, hic charitas ædificans operit multitudinem peccatorum.

Nisi itaque quo sensu Quesnellii propositio iniusta sit, distinctius explicetur, periculum est, ne & in Fulgentium putetur districta Censura.

§. VIII.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 5. *Quando Deus non emollit cor per interiorum unctionem gratiæ suæ, exhortationes & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum. Refl. moral. ad Rom. C. IX. v. 18.*

OBSERVATIO.

Eo intellecta sensu propositio quinta, quod exhortationes & gratiæ exteriores obdurationem per sese producant, ubi interior gratia deest; impia blasphema erronea est. Huius enim obdurationis causa, peccatorum improbitas est, malaque voluntas, non gratiæ defectus. Eo tamen accepta sensu, quod ex occasione peccatorem obdurent, Apostolica sententia est, ab Augustino iisdem ferme verbis explicata atque exaggerata. Epist. ad Vitalem Carthaginensem, olim 107. nunc 215. *Opus est hoc gratiæ, quam qui accipiunt, doctrinæ salutari scripturarum sanctarum etsi fuerunt inimici, fiunt amici: Non opus eiusdem doctrinæ, quam qui audiunt & legunt sine gratia Dei, peiores fiunt inimici . . . Non ergo gratiam dicamus esse doctrinam,*

sed agnoscamus gratiam, quæ facit prædesse doctrinam: quæ gratia si desit, videmus etiam obesse doctrinam.

Lib. de spiritu & litt. Cap. 14. *Littera prohibens peccatum non justificat hominem, sed potius occidit augendo concupiscentiam, & iniquitatem prævaricatione cumulando, nisi liberet gratia. Et Lib. 1. Operis imperf. Cap. 94. Per se ipsam littera occidit, quia jubendo bonum, & non largiendo charitatem, reos prævaricationis facit.*

Augustino succinit Gregorius Magnus hom. 30. in Evangelia: *Nisi idem spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris . . . Nisi intus sit, qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Ipse conditor non ad eruditionem hominis loquitur, si eidem homini per unctionem spiritus non loquatur.*

Hoc idem de lege, quæ externa gratia erat, docuit D. Thomas 2. 2. quæst. 98. art. 1. ad 2. *Lex dicitur occidisse, non quidem effective, sed occasionaliter ex sua imperfectione, in quantum scilicet gratiam non conferebat, per quam homines implere possent, quod mandabat, & vitare quod vetabat.*

Declaretur itaque Theologis, quo sensu ea notata sit propositio: alias magnum famæ suæ periculum adeunt Augustinus, Gregorius, & Thomas Aquinas; qui quod illa paucis verbis expedit, fusius admodum prosequuntur.

§. IX.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 43. *Primus effectus gratiæ baptismalis est, facere ut moriamur peccato; adeo ut spiritus, cor, sensus, non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habet pro rebus huius mundi. Refl. moral. ad Rom. C. VI. v. 2.*

OBSERVATIO.

Quid sub eo verborum cortice veneni lateat, nisi distincte notetur & explicetur, nemo facile divinabit. Quod enim primo loco ponitur, primum gratia sanctificantis effectum esse, ut nos peccato emori faciat, Ecclesiæ Catholicæ fides est, ab Apostolo disertissime tradita ad Romanos 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus; ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus: Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato; qui enim mortuus est, justificatur a peccato. Quæ vero hominis mortui additur in propositione comparatio, ut spiritualis mortis huius confectaria explicentur, a D. Gregorio Nysseno amplioribus verbis assertur, oratione de S. Baptismate, ubi ita hominem baptizatum loquentem inducit: Si conformes morti facti sumus, mortuum prorsus deinceps in nobis peccatum est, lancea baptismatis . . . Mortuus corpora non*

amat: mortuus non capitur divitiis, mortuus non calumniatur, mortuus non mentitur, non rapit ea quæ ad se non pertinent, non conviciatur sibi obviam factis . . . Aliam vitæ regulam, aliam morum normam institui: didici res mundanas contemnere, terrena prætercurrere, & ad cælestia festinare Hæc animæ vere regeneratæ verba, hæc recens initiati hominis voces, proprium peccatum memoria tenentis: Hoc pactum in traditione Mysterii cum Deo fecit, cum omnem & pœnam, & cruciatum, & voluntatem pro illius dilectione se neglecturum esse pronuntiavit.

Quia tamen eum mortis spiritualis effectum non semper consequitur baptizatus (culpa utique sua, non insufficientia Sacramenti) aut si consequitur, non tamen plene & integre momento consequitur, sed pro eo plene & integre consequendo, toto vitæ decursu laborare debet atque pugnare, susceptam Baptismatis gratiam excitando, suscitandoque; idcirco forte ea damnata est propositio, quod eum gratiæ Baptismalis effectum statim, & ab omnibus plene & integre obtineri, videatur asserere.

Si sic est, eaque ferendæ Censuræ ratio fuit, declarare & illud oportet, ut latæ Censuræ æquitas fiat omnibus manifesta; ac ne quis lato Pontificio iudicio turpiter abutatur.



CAPUT XIII. DE VOLUNTATE SALUTIS OMNIUM HOMINUM DEQUE CHRISTI MORTE PRO OMNIBUS OPPETITA.

§. I. PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ CENSURA NOTATÆ.

Propositio 30. *Omnes quos Deus vult salvare pro Christo, salvantur infallibiliter.* Refl. moral. Joan. C. VI. v. 40.

Propositio 31. *Desideria Christi semper habent suum effectum: pacem intimo cordium inferunt, quando eis illam optat.* Joan. C. XX. v. 19.

OBSERVATIO.

Nullæ pluribus æquivocis subsunt, quam quæ de voluntate Dei, Christi quæque pro salute hominum desideriis, propositiones efformantur: cum & varias Dei voluntates, & varia Christi desideria Theologi quique distinguant. Hæc porro, nisi data dilucida explicatione, tollantur æquivoca, nulla unquam scholis catholicis quies erit; sed amplissimus jurgii, litigiis, calumniis locus, ad diem usque iudicii relinquetur.

Quod itaque binas illas propositiones attinet, si de quavis Dei voluntate, ac de quibusvis Christi desideriis intelligantur, adeo ut nullam prorsus voluntatem Deus habeat salutis illorum, qui re ipsa minime salvantur, nullum

omnino Christus pro salute illorum desiderium foverit, qui eam minime consequuntur; impiæ, blasphemæ, Deo & Christo contumeliosæ, ac etiam hæreticæ sunt, atque uti tales in Jansenio damnatæ. At si de absoluta, efficaci, decretoria Dei voluntate, nec non de absolutis Christi desideriis accipiantur, Evangelica & Apostolica veritas est, cui erroris notam affricuisse Clementem XI. nemo dixerit. Joan. 6. *Omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo, Cap. 10. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum, & non rapiat eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi majus omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. Joannis 11. Ego sciebam, quia semper me audis. Ad Hebr. 7. Exauditus est pro sua reverentia. In quem sensum D. Fulgentius verbis multo crudioribus, quam quæ in priori propositione continentur scribit Lib. de Incarn. & gratia Christi Cap. 31. Omnes quos Deus vult salvos fieri, sine dubitatione salvantur; nec possunt salvari, nisi quos Deus vult salvos fieri: Nec est quisquam, quem Deus salvari velit, & non salvetur.*

Christi vero desideria, quæ fuis maxime orationibus expressit, ita semper impleta docet D. Augustin. Lib. de corrept. & gratia Cap. 8. *An audebis dicere, rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset; hoc est, si eam usque in finem perseverare*

no-

noluisse: quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset, ut vellet? . . . Pro illo Christi non potuit esse inanis oratio.

Et D. Thomas 3. part. quæst. 21. art. 4. hanc ipsam conclusionem ponit & probat ex instituto: *Omnis absoluta voluntas Christi etiam humana fuit impleta, quia Deo fuit conformis; & per consequens omnis eius oratio fuit exaudita. Cumque sibi loco secundo obiecisset, Christum pro suis crucifixoribus orasse, ut ipsis ignosceretur, quod tamen impletum non est; atque ita non omnem illius orationem fuisse exauditam: Respondet ad 2. Quod Dominus non oravit pro omnibus crucifixoribus (oratione utique absoluta, de qua disputat) nec etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum; sed pro his solum, qui erant prædestinati, ut per ipsum vitam consequerentur æternam. Hæc itaque Theologis tollantur æquivoca; & summa dabitur scholis quies.*

§. II.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 32. *Christus Jesus se morti tradidit, ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est electos de manu exterminatoris. Resl. moral. ad Gal. C. IV. v. 4. 5. 6. 7.*

OBSERVATIO.

Non absimilibus æquivocis patent, quæ de Christi morte pro universis hominibus appetita, feruntur propositiones: cum & bis-

I 4

riam

riam mors oppeti possit, *sufficienter*, ut aiunt, & *efficaciter*. Hæc vero nisi opportuna explanatione tollantur, lites in catholicis scholis ferentur in longum, nullaue unquam Theologis dabitur pace frui.

Itaque si de oblatione mortis *sufficienter*, ut aiunt, toleratæ, atque ad exclusionem reproborum accipiatur 32. propositio, adeo ut nullam omnino Christus intentionem habuerit, ut reprobis mors illa prodesset; impia, blasphema, contumeliosa Christo, atque hæretica est. Si vero de morte *efficaciter* oppetita, & secundum absolutam procurandæ salutis voluntatem tolerata sumatur, catholica est. Nam & Christus ipse pari omnino sensu animam pro suis ovibus se ponere dicit; nomine ovium electos & prædestinatos procul dubio intelligens. Joan. 10. *Animam meam pono pro ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis.*

Quo etiam sensu a Patribus sæpius asserta est, in quos nemo dixerit Clementem XI. Censuram tulisse.

Sic Augustinus Epist. 102. ad Evodium: *Non perit unus ex his, pro quibus Christus mortuus est. Serm. 8. de S. Vincentio, Christus non perdit quos emit sanguine. Tract. 45. in Joan. ad illa verba: proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, addit, pro nobis prædestinatis, justificatis, glorificatis; de quibus sequitur, quis*

quis accusabit adversus electos Dei? Tract. 66. Qui ita confitetur Christum Deum, ut hominem neget, nec pro illo mortuus est Christus. Tract. 123. Omnes fecit suas oves, pro quibus est passus, quia ut ipse pro omnibus pateretur, ovis est factus.

Ecclesia Smirnenfis in epistola relata ab Eusebio Lib. 4. Historiæ Eccles. Cap. 15. *Christus pro salute omnium, quotquot ex genere humano salvi futuri sunt, mortem pertulit.*

S. Gregorius Magnus hom. 2. in Ezechielem. *Pro electorum vita usque ad mortem se tradidit auctor vitæ.*

S. Prosper in Responsione ad capita Gallo-
lorum Cap. 9. *Cum rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem; potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit. Dicit enim Evangelista, quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum.*

Quæ omnia Patrum dicta hac una mortis, *sufficienter* & *efficaciter* toleratæ, distinctione, in catholicum sensum flectuntur, ut nulli omnino Censuræ subesse possint.

§. III.

PROPOSITIO QUESNELLIANA CENSURA NOTATA.

Propositio 33. *Proh! quantum oportet bonis terrenis, & sibi metipsum renunciassent, ad hoc ut quis fiduciam habeat, sibi, ut ita dicam appropriandi*



Christum Jesum, eius amorem, mortem, & mysteria, ut facit Paulus dicens, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Refl. moral. ad Gal. C. II. v. 20.

OBSERVATIO.

Ad unum, quantum conijcere licet, in ea propositione Censura dignum visum est, quod illi soli, qui bonis terrenis, ac sibimetipsis renunciarunt, fiduciam habere posse dicantur, applicandi sibi Christi Domini mortem, eiusdemque amorem; quasi & alii fiduciam illam habere non possint, ac etiam debeant. Verum est & illud variis sensibus obnoxium, secundum quos & damnari propositio, & absolvi potuerit.

Si ergo de fiducia sermo fiat, unicuique fideli communi, orta nimirum ex fide, qua credit unusquisque illorum pro se Christum Dominum esse mortuum, erronea est propositio. Hæc enim fiducia unicuique fideli inesse debet, quamquam bonis terrenis, ac sibimetipsi non renunciaverit. At si de fiducia illa eminenti, firmissimæque, Apostolorum propria, sermo fiat; orta scilicet ex peculiari revelatione, qua noverant se ad prædestinatorum numerum pertinere, pro quibus speciali quodam modo mortuus est Christus; indubitata veritas est, cui a Clemente XI. præscriptum nemo putet. Ecquis enim neget, specialiori plane modo, firmiorique fiducia, Christi mortem atque amorem arrogare sibi posse; atque ut ita dicam, appropriare ac vindicare, qui de ea pro se



se ipsis efficaciter appetita, æternaque sua prædestinatione sunt certi; (quo in numero Paulus erat) quam qui communi cæterorum hominum, ac etiam fidelium sorte versantur? Neque tamen idcirco Christi mors generatim ac sufficienter pro reliquis hominibus appetita negatur; sed peculiaris Christi in Paulum, illiusque similes benevolentia & prædilectio declaratur; uti eleganter advertit D. Joannes Chrysostomus, hunc ipsum Apostoli locum expendens, cuius occasione consideratio illa a Quesnellio facta est: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me Quid facis Paule, dum communia propria tibi vendicas, quæque pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis peculiararia? Non enim dixisti, qui dilexit nos, sed qui dilexit me: atque Evangelista dixit, sic Deus dilexit mundum; & tu ipse alibi dicis, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non igitur pro te, sed pro omnibus. Cum consideraret Apostolus infirmitatem humanæ naturæ, & ineffabilem Dei sollicitudinem: tum quibus illum malis liberasset, quæ bona largitus esset, inflammatus illius desiderio hunc in modum loquitur.*

Quapropter expedire omnino videtur, ut de qua fiducia iudicium Clemens XI. fecerit, explicetur: ne de Paulo, cæterisque Apostolis minus alte sensisse videatur, eosdemque communi fidelium sorte collocasse; tanquam nihil a Christo Domino prædilectos, qui primitias spiritus acceperunt, quosque ille operis sui vicarios fecit & ministros. At-

Atque hic observationum istarum finis esto. Pro quarum coronide illud ingenue profiteor, me in eo damnatarum propositionum criterio, non id quæsiisse semper, quis in ambiguis & æquivocis propositionibus sensus fuerit, ab ipso Auctore intentus animo (quæ facti quæstio est, & implexa satis, & instituto prorsus inutilis) sed quis illi sensus fuerit a delegatis Censoribus attributus, atque præsumptus; in quem jure animadverterent. Quod tuendæ laterum Censurarum orthodoxiæ, quæ sola modo Theologos tangit, satis est.

PERORATIO.

Audi nunc Beatissime Pater, Theologiæ supplicantis vota precesque. Cumque propositiones 101. proscriptæ, per sese saltem spectatæ, variis sensibus subsint, in quem Clemens XI. Censuram distinxerit, Ecclesiam oraculo doce. Sic sane nulla Decessori irrogata injuria, nulla tanto Nomini labe adpersa, imo nulla illius Constitutioni facta litura; sublatis duntaxat damnatarum in ea propositionum æquivocis, explicatisque ambagibus, restitues universa. Apostolicæ Sedis gloriam, cui, Clementinæ Constitutionis occasione, maligne obstrepunt sycophantæ, securius asseres: fideles in eo damnatarum sententiarum ambiguo titubantes, certissimis præceptis confirmabis; puriorem sanioemque doctrinam, quam nonnulli eo diplomate violatam stulte queruntur, in

in tuto pones: sacrorum Concillorum, Patrumque decreta, quæ convulsa nonnulli petulanter effutiunt, invicte defendes: catholicas scholas novis implicitas litibus, novaque opinionum corruptela turbatas levabis ac recreabis: hæreticis demum, protervisque hominibus, indistincta illa ambiguarum propositionum damnatione turpiter abutentibus, ora præcludes, pudorem incuties sempiternum.

QUÆSITA EX SUPERIORIS SUPPLICATIONIS OBSERVATIONIBUS.

§. I.

De lectione Scripturæ S.

I. **U**trum damnatione propositionum 79. 80. 81. 83. 84. & 85. damnati censendi sint Ecclesiæ Patres numero multi, Origenes, Chrysostomus, Basilus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius Magnus, Thomas Aquinas, & Gregorius IX. Roman. Pont. qui Scripturæ S. lectionem, absolute quidem, & per se spectatam, omni personarum generi congruere, ipsisque etiam Laicis, simplicibusque fidelibus necessariam esse, sæpissime monent; mulieres pias ac religiosas ad eam lectionem invitant; obscuritatem denique verbi Dei, ad sacræ lectionis excusationem, a Laicis obtendi non posse profitentur?

An



Annon potius eæ damnatæ sint, propositiones, quod nullam generalibus illis Patrum regulis exceptionem, spectata personarum ac temporum conditione, fieri posse, videantur asserere; usumque versionum vernacularum, quem Ecclesia vulgo prohibet, cum lectione & meditatione verbi Dei, ad quam Ecclesia fideles omnes hortatur, promiscue confundant?

2. Utrum damnatione propositionis 82. damnati censendi sint optimi quique moralis doctrinæ Magistri; qui piorum librorum, ac tum maxime sacrarum Scripturarum lectionem, iis pietatis operibus adnumerant, quibus Dominica dies sanctificanda est?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod putetur innuere, hanc unam esse diei Dominicæ sanctificandæ rationem: aut certe, quod oblique significet, nihil esse curandum factum aliquibus interdictum, Scripturæ sacræ in vernaculis versionibus lectitandæ, ut vel sic diem Dominicam colant universi?

§. 2.

De Divinorum Officiorum celebratione.

3. Utrum damnatione propositionis 86. ereptum voluerit Clemens XI. solatium hoc simplici populo, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ; quamquam & ipse communem Ecclesiæ linguam orando teneat?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod oblique significet, usurpandam esse ab Ec-

Ec-



Ecclesia vernaculam linguam in divinorum officiorum celebratione, ut suam illi vocem simplex populus orando possit adjungere?

§. 3.

De dilatione absolutionis.

4. Utrum damnatione propositionum 87. & 88. rescissæ putandæ sint sacrorum Conciliorum, sanctorum Patrum, omniumque probatorum moralis disciplinæ Magistrorum regulæ, de differenda, imo quandoque neganda absolutione publicis peccatoribus, graviorum criminum reis, relapsis, aliisve malo cæterorum exemplo, atque ex consuetudine peccantibus; aut etiam ordinariis peccatoribus minus bene dispositis, ac necdum sincerum pœnitentiæ spiritum habentibus?

Annon potius eæ damnatæ sint propositiones, quod non satis inter peccatores distinguant, quibuscum ea sit servanda disciplinæ severitas?

5. Utrum damnatione propositionis 89. ea Theologorum omnium communis existimatio deleta sit; qui peccatores nondum Deo reconciliatos, jus nullum veluti nativum ac strictum habere norunt, ut Missæ sacrificio præsentibus assistant, sed hoc illis ex Ecclesiæ duntaxat indulgentia fuisse concessum; ac tandem lege præceptum agnoscunt?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod jus nativum ac strictum, quo per peccatum

tum



tum devoluti sunt, a laxiore jure, ex Ecclesiæ scilicet indulgentia quæsito, factoque præcepto, minime distinguat?

§. 4.

De Impiorum Oratione.

6. Utrum damnatione propositionis 59. damnatum illud sit sacrarum Scripturarum oraculum, sanctorum Patrum interpretatione declaratum; Impiorum scilicet orationem, iniquo, maligno, arroganti, ingrato, fallaci animo supplicantium, aut etiam illicita, salutique contraria postulantium, novum esse peccatum?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod a delatoribus detruncata, de quavis peccatorum oratione generatim & universe pronuntiata, delegatis Censoribus visa sit?

§. 5.

De timore pœnarum.

7. Utrum damnatione propositionum 61. & 62. damnati censendi sint D. Augustinus, D. Prosper, D. Gregorius Magnus, & D. Thomas, qui timorem nonnisi manum cohibere, hominemque solo pœnæ timore abstinenter a malo, illud idem corde committere docent; ut nimirum intimum peccati affectum, solo timore servili minime depelli significant, donec justitiæ amor accedat? Immo qui stare in hominibus solo timore servili concussis, conditionatam peccandi voluntatem, frequenter affirmant?

An



Annon potius eæ damnatæ sint propositiones, quod timorem servilem novum esse peccatum, asserere videantur; hominemque facere magis peccatorem, ac magis hypocritam?

Utrum damnatione propositionis 60. damnati putandi sint D. Gregorius Magnus, D. Bernardus, D. Thomas, ac Synodus Colonienfis; dum *solum* supplicii timorem, ubi nimius est, ad desperationem adducere docent; *solum* tamen intelligentes, quod non modo amorem justitiæ, verum etiam spem veniæ prorsus excludat?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod de timore solo putetur loqui: *solo*, inquam, ut amorem justitiæ duntaxat excludit, non itidem spem veniæ?

9. Utrum damnatione propositionum 64. & 67. eorum Theologorum sit damnata sententia; qui, posita duplicis timoris servilis distinctione, (alterius quidem mere naturalis, carnalis, serviliter servientis, quo nempe pœna ut summum malum timetur ab homine, immo plus pœna timetur, quam offensa Dei; alterius supernaturalis, qui motus est Spiritus S. nondum quidem inhabitantis, sed tamen moventis) contendunt, timorem primi generis vitiosum esse, Deumque sibi repræsentare ut Dominum durum, imperiosum, injustum; hominemque re ipsa peccare, qui malum eo solo timore devitat?

Annon potius eæ damnatæ sint propositiones, quod de secundi generis timore enunciata existimentur?

K

10.

10. Utrum damnatione propositionis 66. (quæ certe non secundum se totam, sed ratione postremæ partis iniusta est) ea sit damnata sententia, quæ timorem servilem, mere naturalem, serviliterque servientem, paulo ante descriptum, bestiarum proprium dicit esse?

Annon potius ea sit damnata propositionis huius postrema pars, quod de timore servili quidem, sed tamen supernaturali, paulo supra explicato, dicta credatur; quasi & ille bestiarum sit proprius?

§. 6.

De discrimine utriusque fœderis.

11. Utrum damnatione propositionum 6. & 7. damnati putandi sint D. Augustinus, & D. Thomas, hoc idem discrimen inter utrumque fœdus disertissime constituentes; iis nempe spectatis, quæ unicuique fœderi, ex propriis meritis, propriaque cuiusque ratione conveniunt: ut nimirum significant, Judæos se ipsis, atque ex conditione solius Mosaicæ legis, infirmos & impotentes ad bonum; divinam gratiam, legisque implendæ potestatem, virtute & efficacia ipsius antiqui fœderis non habuisse, sed tantum per spiritum novi; ad quod per fidem (quam in Christum venturum habebant, quotquot spirituales erant) dubio procul pertinebant?

Annon potius eæ damnatæ sint propositiones, quod Judæos omnes omni Christi gratia fuisse destitutos, absolutaque implendæ legis impotentia laborasse, non leviter innuant?

12. Utrum damnatione propositionis 63. damnata putanda sit D. Augustini, ac D. Thomæ doctrina, qui timorem, veteris quidem Testamenti, amorem autem novi, characteristicam notam ita esse contendunt; ut & ipsi baptizati Christiani, si solo nunc timore ducuntur, ad vetus Testamentum, secundum spiritum pertinere censeantur; circumcisi vero Judæi, si amore olim ducerentur, ad novum Testamentum, secundum spiritum pertinerent?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod videatur innuere, hominem sacri baptismatis susceptione, Christianum absolute non fieri?

13. Utrum damnatione propositionis 65. damnatus censendus sit Augustinus, nullos a Moyse, cæterisque Prophetis factos liberos docens, veteris legis ministratione; etsi plures Deo filios dederint, fidei in Christum venturum prædicatione, illiusque spiritus advocacy?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod nullos omnino, ullo pacto, ullaque ratione filios Deo datos a Moyse, cæterisque Prophetis, videatur asserere?

14. Utrum damnatione propositionis 8. ea sit damnata doctrina, ex Ezechielis prophetia delibata; quæ homines ad novum fœdus, secundum spiritum illius characteristicum duntaxat pertinere docet, quatenus novæ gratiæ divina mandata in nobis operantis participes fiunt?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod oblique saltem insinuet, homines sine huiusmodi gratia, ad novum fœdus, etiam secundum statum, ritusque sacramentales minime pertinere?

§. 7.

De Ecclesia & Juramentis in ea fieri solitis.

15. Utrum damnatione propositionum 72. 73. 75. 76. damnati censendi sint D. Augustinus, D. Gregorius Magnus, qui Ecclesiam perinde definientes, solos in ea collocant justos ac Sanctos: Ecclesiamque unum hominem mystice vocant, unam personam, caput & membra, Christum nimirum & justos: Ecclesiam tamen intelligentes, secundum illius animam duntaxat, spiritumque vivificantem acceptam; etsi secundum corpus, ac prout societas visibilis est, insignes etiam foveat peccatores?

Annon potius eæ damnatæ sint propositiones, quod Ecclesiam qua late patet, definire existimentur, omnesque peccatores ab eius corpore separare?

16. Utrum damnatione propositionis 74. ea sit plurium Theologorum opinio damnata, qui prælucente D. Augustino, contendunt, injustos, & peccatores, in Ecclesia quidem esse, ac de Ecclesia, illos tamen vera illius membra non esse, ac simpliciter dicta, sed secundum quid tantum & æquivoce: seu partes illius esse duntaxat excrementitias, ac veluti peccantes humores mystici corporis?

An-

Annon potius ea damnata sit propositio, quod solos justos ac Sanctos, Ecclesiæ quomodolibet seu membra, seu partes esse putetur dicere?

17. Utrum damnatione propositionum 77. & 78. damnatus putandus sit Augustinus, qui malos Christianos ab Ecclesia, seu ab interno illius spiritu, animaque vivificante, per vitam pessimam separari, sæpissime monet?

Annon potius eæ damnatæ sint propositiones, quod oblique saltem innuant, Christianos illos ab Ecclesiæ visibili corpore per vitam pessimam separari?

18. An damnatione propositionis 29. damnatus quoque sit Augustinus, nullam extra Ecclesiam gratiam agnoscens, quæ salutem illic operetur & vitam?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod nullam cuiusvis generis gratiam extra Ecclesiam dari, (ut est a delatoribus mutilata) significet?

19. An damnatione propositionis 101. damnata sit communis Theologorum assertio ex sacris litteris, ex D. Augustino, & D. Thom. delibata, Juramentorum frequentiam divina lege vetitam esse; ne fideles ex jurandi consuetudine in peierandi periculum veniant?

Annon potius damnatus duntaxat sit huius assertionis abusus? Si quis forte inde colligat, peccare Ecclesiam, dum ad retegendos hæreticos, in subscribendis fidei formulis exi-

K 3

git

git a fidelibus iuramentum? Quæ damnati scriptoris intentio in ea proferenda propositione credita est?

§. 8.

De Legibus & Censuris.

20. Utrum damnatione propositionis 71. ea sit damnata sententia, Christi Domini oraculo confirmata, quæ hominem posse se dispensare ait a lege positiva, ubi extrema necessitas urget?

Annon potius ea sit propositio damnata, quod extremæ necessitatis casum, quo solo licita est dispensatio, minus explicet; nullamque legum distinctionem ponat, a quibus licitam facit dispensationem?

21. Utrum damnatione propositionis 90. ea sit damnata sententia, quæ Episcopos excommunicare debere ait, ex consensu saltem præsumpto totius corporis; hoc est, juxta mentem & intentionem Ecclesiæ, quæ tunc consentire præsumitur, dum ferendarum Censurarum Canones ab ea conditi, ab Episcopis observantur?

Annon potius ea propositio sit damnata, quod asserere videatur, populi consensum ad excommunicationis firmitatem desiderari?

22. Utrum damnatione primæ partis propositionis 91. ea sit damnata sententia, quæ tenet, metum excommunicationis certo & evidenter injustæ, neminem retrahere debere ab implendo debito suo, si stricti sit juris, naturalis scilicet aut divini?

An-

Annon potius ea damnata sit propositio, quod nec excommunicationis injustitiam satis explicet, nec implendum debitum ullo pacto distinguat?

23. Utrum damnatione secundæ partis propositionis eiusdem, ea sit damnata sententia, quæ homines injuste excommunicatos ab Ecclesia tamen exclusos non esse ponit, in foro interno?

Annon potius ea sit damnata propositio, quod illos ne in foro quidem externo ab Ecclesia exclusos dicere videatur?

24. Utrum damnatione propositionis 93. ea sit damnata pia ac religiosa observatio, quæ Jesum injustæ excommunicationis vulnera interius sanare notat, sanitatemque in foro interno restituere?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod de quavis curatione putetur loqui; adeo ut injuste excommunicatus, ne quidem in foro externo restitutionem sanitatis, seu absolutionem procurare sibi debeat?

25. Utrum damnatione propositionis 92. ea sit damnata Theologorum ac Canonistarum definitio, quæ injustam excommunicationem potius tolerandam decernit, quam prodendam veritatem, ubi injustitia probari in foro externo non potest, aut appellationi non datur locus?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod de quieta & pacifica tolerantia cuiuscumque excommunicationis injustæ putetur lo-

K 4

qui;

qui; etiam dum illius nullitas & iniustitia probari iuridice potest, daturque locus appellationi?

§. 9.

De Virtutibus Theologicis.

26. Utrum damnatione propositionum 26. 27. 28. damnata sit D. Augustini, & D. Thomæ sententia, imo etiam Concilii Tridentini definitio; a quibus fides prima gratia dicitur, per quam obtinentur & aliæ; humanæ salutis initium, totiusque justificationis exordium, prima inquam gratia habitualis, qua Deo salutis auctori primo conjungimur?

Annon potius eæ damnatæ sint propositiones de prima gratia etiam actuali, quæ simplicis illustrationis, excitationisque dicitur, intellectæ? Quales certe gratiæ ante habitualem fidei gratiam, peccatorisque conversionem multæ dantur?

27. Utrum damnatione propositionis 69. damnata sit inculcata toties Divi Augustini sententia, quæ etiam in Ecclesiæ Canonem transiit: fidem scilicet, usum, augmentum, præmium fidei, ipsamque vitam æternam, totum denique divinæ gratiæ donum esse: non quod nulla sit hominis cooperatio, meritum nullum; sed quod ipsa quoque cooperatio, omneque meritum ex divina gratia sobolescant, quæ puræ Dei liberalitatis est donum?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod hæc omnia ita puræ liberalitatis Dei dona esse

esse putetur asserere, ut etiam omne meritum nostrum, omnemque cooperationem nostram excludat?

28. Utrum damnatione propositionum 52. & 68. damnata censenda sit D. Augustini doctrina, ex sacris litteris delibata, compendiarium salutis viam in fide & precibus ponens; quod videlicet media illa sint gratiarum obtinendarum, quibus pervenitur ad vitam æternam?

Annon potius eæ damnatæ sint propositiones, quod sola fide precibusque salutem æternam obtineri posse putentur innuere, cæteris neglectis bonis operibus atque virtutibus?

29. Utrum damnatione secundæ partis propositionis 42. (prior enim, quæ certum fidei dogma est, nullo pacto proscripta creditur) damnata censenda sit D. Augustini & D. Thomæ sententia, quæ opera sine fide nonnunquam elicitæ, etsi forte intra naturæ ordinem moraliter bona sint, apud Deum tamen nullo esse præmio digna; sed illius oculis impura, atque ingrata, seu minime placita, ac plane sterilia constantissime ponit?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod opera omnia sine fide facta, positive ut ita dicam, impura atque indigna, seu veri propriique nominis peccata dicere visa sit?

30. Utrum damnatione primæ partis propositionis 57. damnatum censendum sit familiare illud effatum: *Totum deest peccatori, quando illi deest spes*, ita nimirum acceptum, quod

spe in divina misericordia deficiente, cætera quæcumque peccatori supersunt, ad resipiscendum inutilia fiant?

Annon potius ea damnata sit propositio, eo intellecta sensu, quod sine spe fides nulla in homine maneat, immo & virtus moralis nulla?

31. Utrum damnatione secundæ partis propositionis eiusdem damnatum sit D. Augustini dictum plane synonymum, *spes sine amore esse non potest*, imperfecto saltem et initiali, ut exponit & docet Doctor Angelicus?

Annon potius ea damnata sit propositio, de amore perfecto intellecta; quasi nulla unquam sine perfecto amore spes esset?

32. Utrum damnatione propositionis 51. damnatum putandum sit commune illud Theologiæ decretum, fidem justificantem, ut justificans est, non operari nisi per charitatem; seu fidem non justificare, nisi quatenus actus eius informantur charitate?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod de fide quacumque putetur loqui; quasi nullum illa proprium actum habeat, nec unquam nisi per charitatem operetur?

33. Utrum damnatione propositionum 55. & 56. damnata sit D. Augustini, & D. Thomæ sententia, ex Apostolo petita, quæ solam charitatem prodesse docet ad vitam æternam, penesque illam solam stare obtinendæ gloriæ meritum; quatenus cæteræ quæcumque virtutes suum licet præmium in cœlis habituræ sint,

fint,

fint, illius tamen obtinendi vim se ipsis non habeant, sed quatenus illarum actus a charitate imperantur?

Annon potius eæ damnatæ sint propositiones, in eum sensum acceptæ, quod suum cæteris virtutibus præmium obventurum omnino negent?

34. Utrum damnatione propositionum 50. 53. 54. 58. damnatæ in Augustino censeantur similes omnino sententiæ de charitate indiscriminatim pronuntiatae, qualiscunque tandem illa sit; seu sit illa prima veri boni dilectio, bonaque voluntas, seu plena Theologica virtus; seu sit illa imperfecta, nascens atque remissa; seu forte perfecta, provecta, ac dominans? Solam enim charitatem generatim & indiscriminatim acceptam Deum colere dixit S. Doctor, *Deo loqui, ad Deum in corde nostro clamare*, actiones christianas Christiano ac religioso modo facere; nullamque sine charitate aliqua Religionem esse pronunciavit?

Annon potius eæ damnatæ sint propositiones, tanquam de sola charitate provecta, dominante, atque perfecta ab Auctore pronuntiatae; quæ plena perfecta sit Theologica virtus? Quasi ea sola & Deo loquatur, & Deum colat, non item altera, pro suo saltem modulo.

35. Utrum damnatione propositionum 44. 46. 49. damnatæ quoque intelligantur pares D. Augustini, & D. Leonis loquendi formulæ, de

de

de charitate perinde ac supra indiscriminatim usurpatæ, qualiscumque tandem illa sit? Charitatem enim generatim acceptam, cupiditati amorique nostrum contradistingunt Doctores SS. eaque omnia cupiditate, nostrique amore fieri docent, quæ charitate Deique amore non fiunt; amore inquam Dei remisso saltem, imperfecto, & inchoato, qui prima veri boni dilectio sit, bonaque voluntas.

Annon potius eæ damnatæ sint propositiones, non secus ac superiores; de sola scilicet charitate provecta, dominante, atque perfecta intellectæ? Quasi ea semper cupiditate fieri dixerit Auctor, quæ charitate dominante atque perfecta non fiunt?

36. Utrum damnatione primæ partis propositionis 47. damnati putandi sint, cum D. Augustino, & D. Thoma Theologi universi, sola charitate obedientiam universæ legi præstari, concordi voce prædicantes; seu legem universam charitate sola a nobis impleri contententes; hoc est, sine charitate omnia simul legis divinæ mandata non observari?

Annon potius illa damnata sit propositio- nis 47. prima pars, quod nullam prorsus sine charitate obedientiam legi præstari, sonare videatur: seu quod idem est, nullum prorsus sine charitate mandatum legis impleri.

37. Utrum damnatione alterius partis propositionis eiusdem 47. ea sit damnata SS. Patrum assertio, quæ divinæ legis observan-
tiam

tiam Dei amore vacuum omnique ad Deum relatione destitutam, non facere hominem justum certissime ponit: eoque sensu observantiam illam, falsam esse justitiam, atque hypocrisim profitetur?

Annon potius ea damnata sit propositionis huiusce pars, quod huiusmodi legis observantiam charitate destitutam, veri nominis peccatum esse putetur innuere?

38. Utrum damnatione propositionis 45. damnatus habendus sit Augustinus, qui regnare cupiditatem carnalem sæpius asserit; ubi non est Dei charitas; eamque cupiditatem omnes peccatoris actiones corrumpere frequenter affirmat: actiones tamen corruptas intelligens, in quas cupiditas influit, quæque ex vitiato illo germine profluunt?

Annon potius ea sit propositio damnata, quod omnes prorsus peccatoris actiones intellexerit Auctor, quas ex hoc solo vere propriæque corruptas, veraque peccata sit opinatus, quod ex charitatis fonte non profluant?

39. Utrum damnatione propositionis 1. & 48. damnatus censendus sit una cum Arausica Synodo D. Augustinus, sæpissime inquiens, hominem sibi, suisque relictum viribus, fidei lumine, charitate, omnique divinæ gratiæ præsidio destitutum, ad orandum, aliudve quodvis bonum opus edendum, impotentem omnino esse, eoque in statu nil nisi peccare posse: impotentiam tamen cuiusvis
boni

boni operis salutaris edendi, dubio procul intelligens, moralemque peccandi necessitatem, non item physicam accipi volens?

Annon potius eæ damnatæ sit propositiones, quod de physica peccandi necessitate locutus Auctor existimetur; nec non de absoluta, & integra cuiusvis boni moralis intra naturæ ordinem edendi, impotentia?

§. 10.

De afflictionibus & persecutionibus fidelium.

40. Utrum damnatione propositionis 70. ea sit damnata sententia, quæ ponit, Deum in poenam nunquam affligere innocentes?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod justos alio nullo titulo a Deo quandoque affligi, credatur asserere?

41. Utrum damnatione propositionum 97. & 98. negatum illud sit, quod plus nimio experimento comprobatur, & ab Augustino scriptum est: Viros justos Ecclesiæ & Christo Domino fide & charitate artissime junctos, persecutionem sæpissime pati, poenis addici, Censuris injustis inuri; illorumque sanctitatem hoc pacto magis magisque probari?

Annon potius eorum exemplorum damnetur abusus; factaque rebus in causa Janseniana gestis accommodatio improbetur?

42. Utrum damnatione propositionum 94. 95. 96. 99. & 100. damnati censendi sint, qui dicerent, abusus aliquos in Ecclesiæ regimine obrepere posse?

An-

Annon potius eæ damnatæ sint propositiones, quod rebus in Gallia gestis occasione Jansenismi credantur ab Auctore accommodatæ, ad Episcoporum zelum ac studium incusandum?

§. 11.

De gratia primi hominis innocentis.

43. Utrum damnatione propositionis 35. ea sit quorundam Theologorum damnata sententia, qui gratiam sanctificantem naturæ Adam fanæ & integræ fuisse debitam dicunt, debito congrui; seu divinæ providentiæ, maxime congruisse, ut hominem a se conditum ad ordinem supernaturalem eveheret?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod eam gratiam debito stricti juris, naturæ humanæ primo conditæ debitam dicere existimetur?

44. Utrum damnatione propositionis 36. damnata sit familiaris Apostoli phrasis, qui justitiam gratiamque sanctificantem, non in persona nostrum omnium propria datam dicit, atque receptam, sed in persona Christi Domini, hoc est, non merito nostro, nec ratione nostri, nobis inesse, sed Christi?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod ad sensum Calvinianum traducta sit: quasi justitiam gratiamque sanctificantem animabus nostris inhærentem negarit?

45. Utrum damnatione propositionis 34. Augustini phrasis damnata sit: *Adami innocentis*

tis

his merita, antequam peccato perirent, humana differtissime vocitantis: qua notatum duntaxat voluit S. Doctor, liberum tunc hominis arbitrium, utpote natura sua fortius atque robustius, majores ad meritum partes habuisse, quam nunc habeat læsum & vulneratum in nobis?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod Adami innocentis merita pure humana intellexisse putetur Auctor, hoc est, nudis humanæ naturæ viribus parta, absque ullius gratiæ supernaturalis adjutorio?

§. 12.

De gratia hominis lapsi.

Utrum damnatione propositionum 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. damnatum putandum sit systema gratiæ se ipsa, & ab intrinseco efficacis; proscriptæque ab usu scholarum frequentes illæ D. Augustini, & D. Thomæ voces, quibus eam fortissimam, omnipotentissimam, invictissimam dicunt; indeclinabili, insuperabili, immutabili fortitudine agentem, atque moventem; a nullo unquam duro corde rejectam; immo cui nullum hominis resistit arbitrium; hominum voluntates quo voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, inclinantem; vocem denique Patris appellant, quam qui didicit non solum potest venire, sed venit, qui non didicit, non venit ad Christum?

Annon potius damnatæ illæ fuerint propositiones, quod generatim & universe de quacum-

cumque interiori gratia dicere videantur, quod de sola efficaci gratia dici debet?

47. Utrum damnatione propositionum 2. 4. 9. damnata Augustini sententia sit, quæ novum aliquod potentiæ genus, per gratiam efficacem & operantem homini tribui ponit, ad implenda mandata; novum scilicet possibilitatis gradum cum effectu conjunctum, novas illasque efficacissimas vires?

Annon potius eæ damnatæ sint propositiones, quod aliud nullum possibilitatis genus admittere videantur, quam quod efficaci & operante gratia confertur? Unde sequeretur mandata Dei hominibus ea non implentibus, & efficaci gratia destitutis esse absolute impossibilia?

48. Utrum damnatione propositionis 3. damnatum sit Augustini pronunciatum omnino synonymum: *Præceptum frustra fit, nisi Deus operetur & velle . . . Homo gratia juvatur, ne sine causa voluntati eius jubeatur.* Quo significatum voluit S. Doctor, Dei mandata re ipsa nunquam impleri, nisi ille per gratiam suam implere ea fecerit.

Annon potius ea damnata sit propositio; quod vanum præceptum, hoc est injustum ac minime obligans intellexisse putetur illius Auctor, nisi Deus per gratiam suam dederit ipse, quod præcipit?

49. Utrum damnatione propositionum 21. 22. 23. 24. 25. impropriæ judicatæ sint comparationes Incarnationis, creationis, resurrectionis,

tionis, miraculorum patratiōis, ad infallibilitatem, omnipotentiam, liberalitatem, seu gratuitatem efficacis gratiæ explicandam?

Annon potius eæ damnatæ sint propositiones, quod ad gratiæ necessitantis ideam ac speciem animis inferendam, comparationes illæ credantur adhibitæ?

50. Utrum damnatione propositionum 38. 39. 40. damnatæ putandæ sint eædem in Augustino loquendi formulæ de gratia actuali usurpatæ? qua saltem nisi excitetur moveaturque homo, sed nativis corruptæ naturæ viribus relinquitur, nil nisi ad malum possit?

Annon potius eæ damnatæ sint propositiones, quod de gratia habituali atque sanctificante fuerint intellectæ; quasi ea destitutus homo, nihil omnino nisi ad peccandum valeat?

51. Utrum damnatione secundæ partis propositionis 41. ea sit damnata sententia, quæ scientiam naturalem sine Dei gratia, nonnisi vanitatem & præsumptionem ex accidenti saltem in Philosophis Ethnicis produxisse tenet?

Annon potius ea propositio sit damnata, quod innuat potius, naturalem cognitionem & scientiam, divina gratia & charitate in Philosophis Ethnicis destitutam, fuisse ex sese malam; atque ita præsumptionem ac vanitatem necessario produxisse?

52. Utrum damnatione propositionis 5. ea sit damnata sententia, quæ statuit, gratias exteriores, cordis obdurationem per accidens, ac

ve-

velut ex occasione producere, dum Deus per interiorem unctionem cor hominis non emollit?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod significare Cenforibus vita sit, gratias externas, nisi internæ succurrant, obdurationem per sese ac necessario producere?

53. Utrum damnatione propositionis 43. damnatum illud sit dogma Catholicum ab Apostolo traditum; nos scilicet, per Baptismum peccato mori; ita tamen ut spiritualementem plenam & integram momento non assequamur, sed toto vitæ decursu pro ea integre obtinenda laborare debeamus; susceptam Baptismatis gratiam excitando, suscitandoque?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod oblique saltem innuat, eam nos spiritualementem plenam & integre statim, ac ipso momento consequi, suscepto Baptismate?

§. 13.

De voluntate salutis omnium hominum, deque Christi morte pro omnibus appetita.

54. Utrum damnatione propositionis 30. damnatæ censendæ sint frequentes apud Augustinum eiusque discipulos loquendi formulæ omnino pares, de absoluta, efficaci, ac decretoria Dei voluntate, quam consequentem schola nuncupat, usurpatæ?

Annon potius ea in Auctore damnata sit propositio, quod de quacumque Dei voluntate, ac de illa etiam, quam antecedentem schola

L 2

disti-

dictitat, fuerit intellecta? aut quod voluntatem Dei antecedentem ea propositione negari, Censores existimarint?

55. Utrum damnatione propositionis 31. damnati censendi sint D. Augustinus, & D. Thomas, qui omnia Christi Domini desideria, plena tamen, firma, & absoluta, fufisque ad Deum precibus expressa, suum semper effectum fortiri, disertissime docent?

Annon potius ea damnata sit propositio, de quibusvis accepta desideriis, antecedenti etiam voluntate, meraque, ut aiunt, velleitate conceptis?

56. Utrum damnatione propositionis 32. proscriptæ censendæ sint synonymæ prorsus D. Augustini sententiæ, de Christi morte efficaciter, atque ex absoluta salutis procurandæ voluntate appetita, pronunciatæ?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod de Christi Domini morte quomodolibet, ac etiam mere sufficienter tolerata, fuerit a Cenforibus intellecta?

57. Utrum damnatione propositionis 33. negatum sit speciale Pauli cæterorumque Apostolorum privilegium, mortis scilicet Christi pro illis specialiori, efficaciorique modo appetitæ; unde illis nata sit eminentior firmiorque in Christi morte fiducia?

Annon potius ea damnata sit propositio, quod fiduciam in Christi morte, eorum dun-

taxat

taxat fidelium propriam dicere videatur, qui bonis terrenis, ac sibimetipsis renunciarunt?

Ad quæ sita illa respondere lubeat iis, penes quos est ferendi iudicii summa potestas, bona catholicis scholis dabitur pace frui; turbæ occasione Clementinæ Constitutionis excitæ, momento fiescent, nullæque deinceps movebuntur; fallaciæ atque præstigiæ, quibus hactenus Pontificio illo iudicio intemperanter abusi sunt aliqui, depellentur, aliæ ne adhibeantur in posterum cavebuntur; quodque cæteris præstat, stabit in tuto veritas Religio, fides; omniaque hostium tela devitabit.

Nec quemquam movere debet, quod sint Quæ sita illa numero multa, ad quæ singulatim respondere longum fuerit. Non est ita profecto, non est ita. Sic enim a nobis proposita sunt, duasque in partes distincta singula, ut quæ videtur neganda pars, loco semper primo sit posita, quæ affirmanda, secundo. Quare unico generali responso, eoque paucis verbis expresso, resolvi omnia possunt; si in nostram illi sententiam descenderint: *Ad primam cuiusque quæ sita partem respondetur negative, ad secundam affirmative.*

F I N I S.

Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia & abusione.
Psalm. 30. vers. 21.

ELENCHUS CAPITUM, ET PRO- POSITIONUM.

CAPUT I.

De Lectione S. Scripturæ.

§. 1. Proposit. 79. 80. 81. 83. pag.	-	-	1
§. 2. Prop. 84. & 85. pag.	-	-	5
§. 3. Prop. 82. pag.	-	-	7

CAPUT II.

De divinatorum officiorum celebratione.

§. 1. Prop. 86. pag.	-	-	11
----------------------	---	---	----

CAPUT III.

De Dilatione absolutionis, & reconciliationis pœnitentium.

§. 1. Prop. 87. & 88. pag.	-	-	14
§. 2. Prop. 89. pag.	-	-	15

CAPUT IV.

De impiorum oratione.

§. 1. Prop. 59. pag.	-	-	18
----------------------	---	---	----

CAPUT V.

De timore pœnarum.

§. 1. Prop. 61. & 62. pag.	-	-	20
§. 2. Prop. 60. pag.	-	-	23
§. 3. Prop. 63. pag.	-	-	24
§. 4. Prop. 64. & 67. pag.	-	-	27
§. 5. Prop. 66. pag.	-	-	29

CAPUT VI.

De discrimine antiqui & novi fœderis.

§. 1. Prop. 6. & 7. pag.	-	-	32
§. 2. Prop. 65. pag.	-	-	35
§. 3. Prop. 8. pag.	-	-	37

CAPUT VII.

De Ecclesia & Juramentis.

§. 1. Prop. 72. 73. 75. & 76. pag.	-	-	38
§. 2. Prop. 74. & 77. pag.	-	-	41
§. 3. Prop. 78. pag.	-	-	42
§. 4. Prop. 29. pag.	-	-	44
§. 5. Prop. 101. pag.	-	-	45

CA-

CAPUT VIII.

De legibus & Censuris.

§. 1. Prop. 71. pag.	-	-	47
§. 2. Prop. 90. pag.	-	-	48
§. 3. Prop. 91. pag.	-	-	51
§. 4. Prop. 93. pag.	-	-	54
§. 5. Prop. 92. pag.	-	-	56

CAPUT IX.

De Virtutibus Theologicis.

§. 1. Prop. 26. 27. & 28. pag.	-	-	57
§. 2. Prop. 69. pag.	-	-	59
§. 3. Prop. 52. & 68. pag.	-	-	61
§. 4. Prop. 42. pag.	-	-	62
§. 5. Prop. 57. pag.	-	-	64
§. 6. Prop. 51. pag.	-	-	66
§. 7. Prop. 55. & 56. pag.	-	-	67
§. 8. Prop. 50. 53. 54. & 58. pag.	-	-	70
§. 9. Prop. 44. 46. & 49. pag.	-	-	73
§. 10. Prop. 47. pag.	-	-	75
§. 11. Prop. 45. pag.	-	-	77
§. 12. Prop. 1. & 48. pag.	-	-	78

CAPUT X.

De afflictionibus, & persecutionibus fidelium.

§. 1. Prop. 70. pag.	-	-	80
§. 2. Prop. 97. & 98. pag.	-	-	81
§. 3. Prop. 94. 95. 96. 99. & 100. pag.	-	-	83

CAPUT XI.

De gratia primi hominis innocentis.

§. 1. Prop. 35. pag.	-	-	85
§. 2. Prop. 36. pag.	-	-	86
§. 3. Prop. 37. pag.	-	-	87
§. 4. Prop. 34. pag.	-	-	89

CAPUT XII.

De gratia hominis lapsi.

§. 1. Prop. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.	-	-	90
- 20. pag.	-	-	94
§. 2. Prop. 2. & 9. pag.	-	-	94
§. 3. Prop. 4. pag.	-	-	98

§.


§. 4. Prop. 3. pag.	-	-	-	100
§. 5. Prop. 21. 22. 23. 24. 25. pag.	-	-	-	101
§. 6. Prop. 38. 39. & 40. pag.	-	-	-	104
§. 7. Prop. 41. pag.	-	-	-	107
§. 8. Prop. 5. pag.	-	-	-	109
§. 9. Prop. 43. pag.	-	-	-	111


CAPUT XIII.

De voluntate salutis omnium hominum deque Christi
morte pro omnibus appetita.

§. 1. Prop. 30. & 31. pag.	-	-	-	113
§. 2. Prop. 32. pag.	-	-	-	115
§. 3. Prop. 33. pag.	-	-	-	117
Compendium operis per quaesita. pag.	-	-	-	121







Theologia
supplex
ad
Pontif.
Clement.
XII.
1796

Theol. rec.
IX
Oct. 33 1/2



Theologia
Supplex
ad
Pontif.
Clement.
XII.
1736

Theol. rec.

IK

Act. 337





